COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XX PARS II.

LIPSIAE MDCCLXXIV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourse, Parisiis apud Briasson, Venetiis apud I. B. Pascali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappye der weetenſchappen te Haarlem XIV. Deel. Te Haarlem by I. Boſch 1773. 8. mai. Alph. I. plagg. 20. c. t. aen. 10.

i. e.

Commentarii Societatis ſcientiarum Harlemenſis Tom. XIV.

I.

Theoria molendinarum naualium obliquarum (Roſenkransmolens) a Cl. WENCESL. IO. GVST. KARSTEN. p. 1.

2. Obſeruatio *epilepſiae, ex carie oſſis occipitis et abſceſſu cerebri oriundae*, ab IO. VICRAC, M. D. Femina 36 annorum, tenera et debilis, ſcorbuto ſubiecta, pulſu debili et facie tumida, de dolore in articulo dextro maxillae inferioris queſtà linguam viſcidam cum tumore in parte affecta, hic non adeo infrequenti, maxillam ſpaſmi ad inſtar immobilem reddendi, Noſtro obtulit. Antiſcorbuticis fruſtra datis, tumor, iam in abſceſſum mutatus, ad inſignem magnitudinem increuit. Ex abſceſſu aperto non minus, quam per aurem dextram magna copia puris boni effluxa, abſceſſuque ſenſim disparente, cacochymia in dies aucta, iam ſedimentum purulentum in vrina conſpiciebatur. Doloribus poſtea in regione lumbari ſubſequutis, paullo poſt vero euanitis, ingens dolor in parte ſuperiore oſ- p. 49.

fis occipitis prodiit. Effluxu materiae purulentae per aurem nunc ceſſante, plus vna vice de die paroxyſmo epileptico afficiebatur. Reſpiratio breuis cum halitu foetido antecedebant; paroxyſmum vero vomitus cum materia ſanioſa et foetida ſequebantur.

p. 53. Trepanatio inde, etſi varia adeſſent contraindicantia, praeſertim ſumma debilitas et cacochymia corporis, in parte affecta per ruborem diſtincta, inſtituebatur, cum Auctor cariem ibi et abſceſſum ſuſpicaretur. Sedimentum purulentum iam quartam partem vaſis impleuit, facies in ipſo paroxyſmo ſudans, manibus frigidis. Operatione peracta, os carioſum et abſceſſus infra duram meningem inuenta ſunt: Symptomatis iam paullo mitioribus, ex abſceſſu nunc aperto vncia circiter materiae ſanioſae effluxit. Diaeta et regimine iuſſis aegra per tres dies ab epilepſia plane libera, quarto die poſt paroxyſmum grauiorem mortua inuenta eſt. Sectionem cadaueris non conceſſam Noſter dolet; ſuſpicatur interim abſceſſum paullo profundiorem, iam priore aperto, auctam epilepſiam denuo produxiſſe, aegramque extinxiſſe.

p. 67. 3. *Super inueſtigatione et inuentione lithantracum* diſſerit IAC. DE STEHLIN *).

p. 93. 4. Experimenta chemica *cum corallina vulgari officinali*, a IO. GEORGIO MODEL **). Corpus hoc, quoad partes conſtitutiuas, ortum vel locum natalem et vires medicas non iuſte cognitum, id Noſtro videbatur, in cuius naturam paullo profundius inquireret: Cum porro videret a Cl. GMELINO in *hiſtoria fucorum* ad *androſaces*, ab Ill. LINNAEO

*) Ex deſiderio ſocietatis, ex idiomate Germanico tractatio translata eſt a Cl. P. BODDAERT.

**) Ex Latino conuerſa ab EODEM.

RARO ad *tubularias* a Cell. vero PALLAS et BAKER ad plantas eam referri ex analogia partium, quid veri ſineſſet, disquiſiuit. Iam hic experimenta, quae multa et bona ſunt, referre cum longum ſit, quae inde corollaria duxerit, hic colligemus. Materiam primariam margaceam eius, ex partibus ſuis conſtitutiuis ad regnum vegetabile iure referri debere: hanc vero materiam minimam partem efficere; maximam potius ex calce, vel potius materia, oſteocollae ſimili, a Cel. MARGGRAFF *) expoſita conſtare, nec tamen vllum terrae vitreſcibilis veſtigium prodere: id quod Noſtro loco eius natali maritimo tribuendum videtur. Quaeſtiones ſub finem has mouit: quae eſt origo terrae calcareae in corallina? an ex ea ſalia alcalina, vel ex iis ea ipſa terra, producuntur? Quomodo, ſi iſta ad zoophyta refertur, terra calcarea ab oſteocolla diſtinguitur? In quonam conſiſtit virtus anthelmintica eius, an in calce, vel partibus ſolidis, vel etiam odore bituminoſo? Cui vltimo hanc virtutem attribuit, et quidem ſi corallina recens ſit, id quod et alia corpora maritima, eodem odore imbuta praeſtare videntur. p. 109.

5. Relatio *de diſtributione et confluxu fluuiorum*, Auct. Cl. PAVL. FRISIO **). p. 112.

6. Tractatio *ſuper oleo vitrioli dulci, liquore anodyno minerali* HOFFM. *et ſpiritu aethereo* FROBEN. Auctore Cl. BOVDEWYN TIEBOEL. In ampla ſatis et fuſiori hac tractatione omnia ea Cl. Auctor ex ſcriptis Auctorum colligit, quae vel ad hiſtoriam et fata, vel varium haec producta praeparandi modum pertineant; quibus quaedam, quae ipſe expertus ſit, adiicit. Nos vero, cum omnia haec iam p. 131

*) vid. *Chymiſche Schriften 2ter Theil.*

**) Ex Latino ab RODEM conuerſa.

ex ſcriptis aliorum conſtent, fuſiusque hic recenſeantur, non, niſi ſummam totius tractationis relaturi ſumus paucis, quae Noſter habet, adiiciendis.

p. 134. Agit itaque primum de hiſtoria et ortu horum productorum; deinde proceſſus chemicorum varios narrat, ſua experimenta adiecturus; tertio, quae praecipue ingredientia requirantur, et quae in ipſo proceſſu obſeruanda ſint, demonſtrat; inquirit quarto in indolem productorum, experimentis illuſtratam; modum ipſum procedendi quinto, quidque in ipſo et per eam fit, exponit; quid, ſexto, ex hac operatione ſequatur, docet; et ſeptimo tandem obſeruationes quasdam, quae praecipua momenta tangant, adiicit.

p. 194. Olei vitrioli, quo Auctor Cl. in experimentis vſus eſt, grauitas ad grauitatem aquae pluuialis erat, vt 46 : 24. Olei vitrioli et alcohol vini aa vnciis ſedecim in retortam amplam immiſſis, graduque ignis ſenſim ad ebullitionem aucto et furno nunc clauſo, vapores albos ex retorta adſcendere, in vaſe vero recipiente euaneſcere Noſter vidit, qui, cum multum odorem ſulphureum ex foraminulo facto perciperet, partes aetheris FROBENII

p. 201. Noſtro videntur; cuius vero $7\frac{1}{4}$ vncias obtinuit. Colorem olei vitrioli fortitudinem eius non determinare putat, cum albus color puritatem eius, brunnus admixtum phlogiſton demonſtret; illud tamen hoc in experimentis praeſtare. Quantitatem olei maiorem vel minorem ſpiritum vitrioli dulcem fortiorem vel mitiorem reddere; ad oleum vero

p. 210. dulce maiorem alcoholis quantitatem requiri. Digeſtionem calidam in genere improbans, cohobationem mauult; frigidam vero in praeparatione liquoris anodyni concedit. Subſidens oleum Noſter plus acidi in ſe continere credit, vnde grauitas eius maior pendeat; quod vero ex gradu ignis maiore de-

riuandum

riuandum ſit. Liquorem anodynum *ſpiritum vocat, ex oleo vini eſſentiali, efferueſcentia et aqua diluto, et ex ſubtiliſſimis maximeque volatilibus vitrioli partibus, deſtillatione intima iunctis, compoſitum.* p. 231.

Fuſius expoſito aetheris FROBENII parandi modo, Cl. SCHWEITZER*) ſententiam perſtringit, eiusque experimentis inſtitutis, colligit: oleum eius eſſentiale non, niſi aetherem purum, vel oleum eſſentiale vini, ſubtiliſſimis oleoſis caryophyllorum partibus impraegnatum fuiſſe, et exinde nullum commodum redundare, cum olea eſſentialia multo facilius, minorique ſumptu parari poſſint. p. 260.

Praeſtantiam acidi in aethere FROBENII ita demoſtrat, vt, cum aliquid ſubtilis albaeque naphthae petrolei in partem aetheris FROBENII inſtillaret, mixtura non ſolum aequalis eſſet, ſed admiſtione etiam alcoholis eadem maneret; ſed quantitas eius Noſtro nondum innotuit. p. 276.

Quae porro ex his colligit conſectaria, Lectoribus noſtris commendamus. p. 279.

7. Tractatio *ſuper reſiſtentia fluidorum in genere, et in ſpecie aeris contra globos tormentorum bellicorum*, Auct. Cl. I. I. WARTMANN. p. 295.

8. Diſſerit Cl. A. YPEY *de villis ſugentibus plantarum*. Plantis quae ſit cum animalibus breuiter expoſita harmonia, ſuctionem fluidorum in plantis, per radices factam, non alio fieri modo in foliis plantarum, ope villorum reſorbentium, ad inſtar reſorptionis in inteſtinis animalium celebrandae. Quorum villorum, in terreſtribus plantis minus, magis in aquaticis v. c. *Nymphaeis*, *Typha latifol.* cet. conſpiciendorum, alia ſtructura ſimplicior et animalium indoli haud abſimilis videtur, p. 363.

*) Diſſert. med. chem. de oleis eſſentialibus absque deſtillatione parandis, v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 301.

alia magis artificiosa est et composita: valuulae in his, in illis nullae conspiciuntur. Illud *Nymphaea*, hoc *Typha*, *Poa*, *Sparganium*, *Butomus*, *Crinum*, *Acorus*, *Stratiotes* cet. demonstrant. Ex iconibus adiectis magis, quae Auctor probata velit, intelliguntur.

p. 379. 9. Sectio posterior *de integumentis cutis animalium*, *potissimum pilis*, Auctore Cl. IOB. BASTER. Antea Noster de integumentis cutis animalium et praecipue squamis piscium *) agens iam hic in pilos potissimum inquirit. Considerantur pili hominum, animalium brutorum, auium, amphybiorum et piscium, insectorum et plantarum. Nos hic exempli loco, pilorum hominis tractationem excerpturi sumus, reliquorum sagacem et doctam explorationem Lectoribus tradituri. Ortum eorum iam antea **) disquisiuit asseruitque, crinium, mystacis cet. originem in membrana cellulosa esse, eosque cutem perforare; lanuginis vero sedem sub cuticula in cute ipsa figi, cuticulamque, arte separatam sequi. Bulbi pilorum in capite et partibus genitalibus ouales, in ciliis et superciliis globulosi et in aliis partibus tenues et longitudinales reperiuntur. Bulbus ipse membrana tenui, tenuissimis et circumuolutis vasculis sanguineis, seroso lymphaticis neruosisque composita, cingitur. Innumera eiusmodi vascula in centrum quoddam confluunt; vnde radix oritur, quae siccior, durior tenuiorque facta, crescit, prolongatur cutemque perforat, vel, quod Auctor mauult, per foraminulum, in cute relictum, transgreditur: Iam membranula cuticulae circumuoluitur, vnde strictior firmiorque, et ad in-

p. 385. iurias aeris ferendas aptior redditur. Inter multiplicem

*) v. Verhandel. van deeze Maatsch. VI. Deel. bl. 746. comm. nostr. Vol. XI. Part. II. p. 312. Vol. XII. p. 286.

**) v. Acta phys. med. ann. 1748. obs. XII. p. 52.

plicem eorum vſum et hic éminet, vt eorum frictione pori cutanei aperti maneant. Conſtat pilus, microſcopio detectus, praeter membranam externam, ex ſex vtplurimum *) filamentis paralleli modo decurrentibus, fibrisque transuerſalibus coniunctis, et canalem in medio relinquentibus, qui medullam ſiue ſuccum nutritium, colorem pilis reddentem, contineat. Chemice pilus examinatus exhibet per deſtillationem parum phlegmatis, ſpiritum vrinoſum et ſal alcali fixum, vnde et pili deſtructioni ita longe reſiſtunt. Indolem porro eorumque electricam, colorem in variis varium, gryſeum ex aetate, formam et ſtructuram externam fuſius perſequitur. Cauſſam, cur aethiopes barba careant, quae affinitas barbam inter et partes genitales ſit, vt vno tempore erumpant, cur eunuchi barba deſtituantur, cur cornua apud ceruos, partibus genitalibus non longe poſt partum priuatos, non erumpant, inueſtigare nequit. An ergo aliquid in pilo deprehendatur, quod non miratu vel notatu dignum ſit, quaerit. p. 391.

10. *Organa vitalia in variis animalibus* conſiderat Cl. PIETER BODDVERT. Ill. A LINNÉ Noſter ſequuturus eiusmodi organa in *quadrupedibus*, *auibus*, *amphybiis*, *piſcibus*, *inſectis* et *vermibus* examinat, quibus et *zoophyta* addit. Refert ad haec *cor*, quo motus ſanguinis exercetur, *pulmones*, quibus ſanguis depuratur, *inteſtina*, vbi nouus paratur et *encephalum*, quo tria haec, moueantur. Quaecunque animalia arteriis venisque inſtructa ſunt, cor habent, id quod polypis denegatur. Cum vero corpus humanum ex fluidis et ſolidis, in ſe inuicem agentibus conſtet, cum hoc et in zoophytis p. 437.

*) Cl. LEEVVENHOECK viginti quinque numerat. Verhandeling. van deeze maatſch. VIII. Deel. bl. 47.

obſeruetur, ſequi putat humores in iisdem eodem moueri modo, vti in plantis. Varietates porro cordis et vaſorum ſanguiferorum in animalibus percurrit, vnde videmus, cor quidem in omnibus adeſſe, formam eius vero iuſtam et conſtantiam ab
p. 451. homine vsque ad zoophyta ſenſim imminui. Ex examine pulmonum, quod iam inſtituit, perſpicimus, eos in quadrupedibus ex vaſis, veſiculis et glandulis componi, auium muſculoſiores, amphibiorum membranaceos eſſe, piſcium ex branchiis (*Biemoen*) conſtare et vermium medium piſces inter et inſecta, duobus canalibus aereis inſtructa, tenere, in zoophytis tandem plane deficere. Quae
p. 460. ad nutritionem requiruntur partes ordine diſpiciuntur, quaeque in variis circa eas obſeruantur
p. 484. varietates exponuntur. Iam denique de encephalo et medulla oblongata neruorum vitam perficientium, fonte agit. Vti ergo encephalum humanum omnium maximum eſt: Sic ea in maximis brutis animalibus minima eſſe, ex ſectionibus Cl. D'AUBENTON patet. Quae vero animalia (quorum maxima pars eſt) encephalo et medulla ob-
p. 489. longata inſtructa ſunt, neruos quoque habent. Etſi itaque circuitus ſanguinis, reſpirationem cum nutritione ad vitam ſuſtentandam maxime neceſſaria eſſe ex dictis patet; vitam tamen ſolum ſyſtemati neruorum, medullae inprimis oblongatae tribuendam eſſe, experientia conſtat.

p. 493. 12. *Modum abſceſſus aperiendi varium* exponit Cl. DAN. VAN GESSCHER. Inciſione abſceſſuum hactenus non ſatis determinata, regulis in ea obſeruandis nondum diſtincte expoſitis abſceſſibusque ipſis maiorem minoremue interdum inciſionem deſiderantibus, nondum ſatis declaratis, in modum abſceſſus aperiendi iuſtum paullo ſtudioſius inqui-

rere

rere Noſtro non alienum viſum eſt. Leges ergo, quas natura in ſanandis abſceſſibus obſeruat, praemittendae ſunt: his loco abſceſſus et ſymptomatis ſimul conſpicuis reſpondeant regulae poſitae: hae denique regulae non vltra modum multiplicandae ſunt; ſed, quod fieri poſſit, experientia nitantur. Legibus itaque naturae in curandis abſceſſibus declaratis, his ipſis et aliis hic ſuperuenientibus rebus accommodatas ponit regulas. *In quolibet abſceſſu, iuſta peripheria determinata, partem eiusmodi, quae premi poſſit, occupante, inciſio mediam partem diametri eius non exſcedat.* Etſi etiam depuratio abſceſſus valde neceſſaria reſciſſioque partium deſtructarum inciſionem ampliorem poſtulare videntur; id tamen ipſo naturae interdum beneficio efficitur, partesque emortuae atque deſtructae viſae, iuſta interdum coniunctione cum partibus ſanis reſtituuntur, id quod hiſtoria non obſcura illuſtratur, vt ergo hae obiectiones nullae ſint. *Abſceſſus quamuis ſimpliciores, ſi ſub parte tendinea latent, aliquo modo complicati redduntur, et, ſi non ita maiores ſint, per omnem longitudinem, in ſitu vero contrario inciſione plus minusue ampla aperiri debent.* Fibrae enim hae tendineae admodum elaſticae breui diſciſſione mox poſt effluxum materiae contrahuntur, aperturamque claudunt. *In omnibus materiae congeſtionibus, totum partis cuiusdam ambitum occupantibus, cutemque a muſculis ſubiectis ſeparantibus, in parte effluxui puris aptiſſima mediocris inciſio ſemel vel bis inſtituatur.* Hos abſceſſus per metaſtaſin formari intelligitur. *Qui ex carie proficiſcuntur abſceſſus inciſione, peripheriae cariei reſpondente, aperiantur.* Nam cariei incognitus ambitus, perioſtiique deſtructi progreſſus amplam inciſionem poſtulare videntur: *Eiusmodi quoque inciſio fiat in abſceſſu; qui in prominentiore parte extreſcen-*

p. 505.

p. 510.

p. 521.

p. 522.

excreſcentiae oſſeae, diu absque ſymptomate accedente alio duratae. Hic enim vel ab inflammatione pertuſtei, vel carie oſſis vel ipſa vi externa oriundus, non rite determinari poteſt, ideoque ampla incisione aperiendus. *Num abſceſſus, in ſpina ventoſa conſpicuus, eodem modo incidi debeat?* quaeritur; quod tamen a Noſtro, etſi plures id ſuadeant, cum inflammatio non partialis, ſed cauſſa in vniuerſa humorum acrimonia poſita ſit, negatur. *Sic in fractura complicata ex ſpina relicta, vel apice oſſis fracti, partes molles irritante, abſceſſus oritur: is per omnem diametrum incidatur.* Cauſſa enim ſublata, tollitur effectus. *Abſceſſus ſub cornea ex magnitudine ſua ſatis ampla ſectione aperiantur.* Nam lamellae eius admodum tenaces ſtatim poſt ſectionem contrahi aperturamque coanguſtare ſolent, vnde pus, per ſe iam craſſiori, exitus difficilior redditur. *Idem fere valet de ſtaphylomate.* Has ſpeciminis loco pugulas adieciſſe ſufficiat; 18 reliquarum ſummam, quibus omnes fere corporis partes, vbi eiusmodi abſceſſus comparere ſolent, percurrit, brevitatis cauſſa omittimus.

p. 525.

p. 549. 12. *Computum incolarum, aedificiorum, quotannis natorum, matrimonio iunctorum mortuorumque in vrbe Alkmaer; et quae ſub eius imperio eſt vicinia, cui quaedam, quae huc ſpectant, adduntur,* a Cl. PALVDANO.

p. 609. 13. *Annotationes ad obſeruationem celeritatis motorum,* Cl. C. BRVNINGS.

p. 630. 14. *Obſeruationes meteorologicae Zwanenburgenſes ad annum 1772.*

Relationes ſocietati communicatae.

p. 3. 1. Obſeruatio *maniae, vſu cort. Peruv. curatae* Cl. IO. WILLEMSE. Diarium hic maniae, a me-

dio

dio iunii ad menſem decembris vsque, varia facie conſpicuae, et tunc plane curatae nobis ab Auctore Cl. offertur. En eius ſummam! Iuuenis 25 annorum ſanus et robuſtus, menſe iunio 1771 maniacus redditus, venaeſectionibus reiteratis 70 vnciis ſanguinis amiſſis, veſicatoriisque non ſuccedentibus, in paedagogium delatus Noſtro traditur. Camphora, cui multum in eiusmodi morbo leuando a Cl. LOCHER *) tribuitur, vtendum hic eſſe videbatur. Antea vero aeger, quo medicamentum hoc eo efficacius ageret, tranquillus erat reddendus: id quod puluere hypnotico, nuperrime **) ſatis laudato, cum opio non fideretur, optime effici poſſe putauit. Hoc itaque, praemiſſo laxante, a 12 iunii ad 21 eiusdem in ſedecim ſcrupulis ſine vllo effectu adhibito, hauſtum aegro camphoratum, ex camphorae drachma ſemis, aceti deſtillati vncia ſemis cum pauco ſacchari et aquae deſtillatae paratum Noſter praebuit cum iulapio antiphlogiſtico et decocto hordei. His medicamentis ad 8 auguſti continuatis, vbi camphorae doſin ad drachmam vnam de die auxit, ſymptomata admodum leuata videbantur. Calor blandus, ſudor leuans, ſomnus quodammodo cum ratione reſtitutus, virium formaeque externae bonitas, appetitus fortis, bonam formarunt prognoſin, vt etiam quatuordecim diebus poſt, camphorae doſi ſenſim imminuta, ſymptomatisque omnibus fere ceſſantibus, aeger non ex cuſtodia ſolum excederet, ſed etiam d. 23. eiusd. domum abiret. Paroxyſmo vero eodem die recurrante, venaeſectioneque larga cum laxante antiphlogiſtico non ſuccedentibus, in cuſtodiam reddebatur. p. 18.

*) vid. obſeruatt. pract. circa luem veneream, epilepſiam et maniam, Vienn. 1762. comm. noſtr. Vol. XII. p. 34.

**) vid. Verhandel. van deeze maatſch. XII. Deel. bl. 31. it. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 582.

batur. Indicatis anthelminticis indicationi non respondentibus, camphora denuo dosi eius ad quatuor scrupulos aucta, ad 25 septembris vsus est. Iam vero paroxysmum periodicum esse decimoquarto circiter quarto die recurrere solere obseruatum est. Hinc tandem, paroxysmo a 23 oct. ad 6 nouembr. finito, cortex Peruuianus a drachmis tribus ad vnciam dimidiam de die ita bene adhibitus est, vt, vsu eius per mensem continuato, aeger plane restitutus sit.

p. 28. 2. Obseruatio *maniae cum moerore per camphoram curatae*, ab EODEM. Fuit haec eiusmodi maniae species, vbi aeger, 30 annorum phlegmaticus, post febrem iusto citius cessantem, continuo fere absque vllo furoris indicio, deliraret, secumque colloqueretur. Quem itaque in custodiam datum amore ante morbum versus puellam, quacum matrimonio iuncturus erat, tractum fuisse Nostro referunt. Hic per tres fere menses sibi relictus Auctori Cl. iam traditur, qui, primis antea viis bene euacuatis, camphoram aegro in pilulis a scrupulo ad drachmam semis et vltra per septimanam exhibuit. Pilulis vero non ita ex voto succedentibus, haustum ex camph. gr. 50 acet. destill. et syrup. ʒ radic. aperientt. ana drachm. 6 et aqu. sambuc. vncia vna a 24 august. ad 4 d. sept. elegit, qui egregie succederet. Camphorae dosi ad drachmam postea aucta et ad 16 circiter continuata, ita aeger conualuit, vt d. 18 octobr. e custodia dimitteretur.

p. 33. 3. *Effecta mirabilia tempestatis* communicat Cl. I. F. MARTINET. Recenset hic primum phaenomena tonitru et fulguris potissimum in aede et aedificio vicino d. 21 august. conspicua, ab alio sibi communicata: quae, cum experientia iam constent, praeterimus. Obseruationem deinde propriam

priam adiicit, vbi fulgur, ſpatio vacuo facto, effectum ſuum edidiſſe pateret: vt ergo ſententia Cl. MAY *) confirmata videatur.

4. Obſeruatio *ſudoris ſanguinei* a Cl. D. H. GALLANDAT. Cum eiusmodi phaenomenon rariſſime accidat, a multis in dubium vocetur, et exemplum Chriſti miraculoſum habeatur, eiusmodi obſeruandi in naue ſub maxima turbulentiſſimaque tempeſtate Noſtro data fuit occaſio. Vidit, nimirum remigem 30 annorum vegetum, habitu cutaneo tenero; crinibusque pallidis inſtructum, ex ſumma anxietate ſummoque metu inſtantis mortis ſubito in terram coniici. Quem cum Noſtro erigeret, faciemque ſanguineo humore conſperſam ex vulnere quodam deriuaret, eamque linteamine detergeret, obſtupefactus veras ſanguineas guttas ex poris cutaneis prodire, iisque abſterſis, nouas ſuccedere vidit. Nec hoc phaenomenon in ſola facie, ſed in collo etiam et pectore animaduertebatur, ita, vt linteamen, hoc ſudore imbutum et rubrum totum eſſet, et digitos etiam Cl. Auctoris eodem colore afficeret. Ceſſante demum hoc phaenomeno, aeger ad ſe, nulla ſequela relicta, rediit. p. 46.

5. Relatio *phaenomenorum quorundam, in effodiendo puteo conſpicuorum*, per Cl. G. BRVGMANS. Puteum a. 1729 menſe auguſto in agro *Aengwieriano* ad altitudinem 24 pedum effoſſerunt: hinc terebra immiſſa, turba ſubtus audiebatur, quam, terebra educta, flamma ignea et paullo poſt halitus ignitus ſubſequuta ſunt, quibus operarii non ſolum ab opere deſiſtere deberent, ſed etiam valide afficerentur: Puteus iam igne vaporibusque plenus, nec ita multo poſt his vacuus, aqua nunc impletus p. 53.

*) v. Verhandel. van deeze maatſch. XII. Deel bl. 391. comm. noſtr, Vol. XVIII. p. 593.

pletus conſpiciebatur, quam, vaſe quodam exhauſtam, flammam ad inſtar alcoholis concipere viderunt. Quae cum ita eſſent, nec aqua haec pecoribus conduceret, puteus iterum terra repletus
p. 56. eſt. Alius puteus a. 1746 in loco, abhinc horam dimidiam diſtante, effoſſus eadem fere phaenomena, excepta aqua, pecoribus grata, oſtendit.

p. 57. 6. Hiſtoria *peculiaris metaſtaſeos materiae purulentae* cet. a Cl. IACOB. DACHS, chir. maior. Miles 47 annorum ſanus et vegetus caſu in foueam verſus fruticem in latere ſiniſtro ad duas vltimas coſtas ſpurias ita concutiebatur, vt absque motu et ſenſu iacens irritante in parte affecta a Noſtro detecto, aeger, de nullo dolore querens, a Noſtro etiam ſine venaeſectione dimiſſus eſt. Septem diebus poſt dolor ſatis vehemens in parte affecta protinus abſceſſum ibi formatum, non extus conſpicuum, indicare videbatur. Parte hac per aliquot dies emollientibus fota, die decimo quarto dolor vehementiſſimus verſus pylorum totum abdomen fere occupans, ſumma anxietas, reſpiratio difficilis cum pulſu paruo, duro ſpaſticoque aegrum plane proſtrauerant, colicamque ſpasmodicam reliquerant. Metaſtaſin hanc cum adhibitis remediis per aluum educere non poſſet, conatusque vomendi adeſſent, ſcrupulos duos radicis ipecacuanhae, quo vtrique fini faceret ſatis, aegro dedit, vt inde magnem copiam puris euomeret. Huic, cum dolor in viis vrinariis quoque vrgeret, aliis bonis medicamentis cum clyſmatibus ſubſtitutis, triplici hac via copioſa materia purulenta excreta fuit cum leuamine ſymptomatum, eorumque plenaria ſubſequuta ceſſatione. Sed breui poſt idem paroxyſmus rediens eandem fere ſcenam luſit, quam eadem methodo ſuſtulit; interuallis iam paullo maioribus

ter

ter eundem paroxyſmum retrogreſſum dolet, vsque dum plenaria ſequeretur ſanitas. Inquirit ſub finem in vias, quibus materia ad varia haec loca ducta ſit.

7. Obſeruatio *vulneris pectoris*, a Cl. CONR. D. FLEBBE, M. D. et chir. mag. Miles 28 annorum plethoricus et ſanus, nulli antea morbo obnoxius, enſe lato in pectore dextro ſub papilla mammae et abhinc digitum circiter verſus humerum ita perfodiebatur, vt apex a tergo ſpinam inter et ſcapulam egrederetur. (Coſta ex obeſitate nimia indicari non potuit; laeſionem vero, inter tertiam et quartam fuiſſe ex teſtimonio adiecto videmus.) Sanguine ex vulneribus quidem emanante, nullo vero ex ore effluente, nec alio graui praeſente ſymptomate, aegro repetitis venaeſectionibus ſexaginta vnciae ſanguinis ſubducebantur. Vſu decocti hordeacei cum melle et nitro, et obtegente vulnus anterius ſolo emplaſtro, poſteriore vero libere relicto, aeger poſt ſedecim dies fere reſtitutus videbatur.

8. Relatio *de oleo aſphalti*, a Cl. M. HOFKENS, COURCELLES. Hoc oleo antea *) a Noſtro commendato, nouis exemplis **) denuo confirmato, ibi ſimul in ſe ſuſcepit, ſi quid ſibi accidiſſet, quod voto non reſponderet, id ſocietati communicatum eſſe. Iam vero profitetur, varia experimenta cum eodem oleo, in iisdem morbis, omnibus iuſte diſquiſitis, non ſucceſſiſſe: Cuius quidem cauſſam in varia indole aſphalti inueniſſe aſſerit. Alium enim aſphaltum calcinatum poſt deſtillationem ita acrem

*) v. Verhand. van deeze Maatſch. VIII. Deel. bl. 475. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 132.

**) vid. ibid. IX. Deel bl. 603. comm. noſtr. l. c. p. 464.

acrem fuiſſe, quem aegri ferre nequirent, pharmacopola Noſtro retulit, cuius vero acritatem repetita deſtillatione correxerit: alium, ex quo oleum antea laudatum paratum erat ſucceſſusque habuerat proſperos, per triginta fere annos in officina conſeruatum fuiſſe, eumque fortaſſis alius indolis fuiſſe, quam qui iam proſtaret.

p. 82. 9. *Quae triſtia effecta mons igniuomus ſeu ſulphureus ex ruptura ſua et collapſu menſe auguſto 1771 produxerit in inſula Iaua, cum annotationibus eiusdem phaenomenis* recenſet IOB. MAVR. MOHR. Situs eſt hic mons, *Papandajang*, ſeu *mons ſulphureus* dictus, in prouincia *Soekapoera*, Iauae regione meridionali, 40 milliaria a Batauia diſtante: cuius latitudo cum longitudine, quae ex relationibus non patent, ex comparatione cum monte coeruleo (*blaauwe berg*), cuius altitudinem ad tria millia et trecentos pedes Rhenolandicos adſcendere dicunt, deriuatur. Tempore itaque nocturno intra 11 et 12 diem aug. mons nubibus iuſto clarioribus obtectus, cum magno murmure interno, et euomitione ignea ex ore eius, quae omnia per quinque ſexageſimas durarent, ſubito collapſus eſt, terraeque planitiem, ad trium milliarium longitudinem, latitudinem $2\frac{1}{2}$ ſecum corripuit. Quadraginta pagi cum 2957 hominibus vel obruti vel alio modo vita priuati ſunt, Incolarum 40 in quodam pago, ſaluo relicto, ſeruati ſunt: Brutorum 1500 interfecti ſunt et multae officinae deſtructi.

II.

Die Harbkeſche wilde Baumzucht, theils Nordamerikaniſcher und anderer fremder, theils einheimiſcher Bäume, Sträucher und ſtrauchartigen Pflanzen, nach den Kennzeichen, der Anzucht, den Eigenſchaften

genſchaften und der Benutzung beſchrieben von D. IOHANN PHILIPP DU ROI. *Erſter Band. Mit 4 Kupfern. Braunſchweig* 1771. *Im Verlage der fürſtl. Waiſenhaus-Buchhandlung.* 8. 1 *Alph.* 10 *Bog. Zweyter Band. Mit 2 Kupfern. Ebendaſ.* 1772. 8. 1 *Alph.* 11½ *Bog.*

i. e.

Plantarium arborum exoticarum indigenarumque Harbeccenſe, Auctore IOANNE PHILIPPO DU ROI, M. D. Pars I. II.

Veniam dabunt et Lectores, et Cl. Auctor, quod grauioribus impediti cauſſis libri huius, in re oeconomica et botanica vtiliſſimi, non prius fecerimus mentionem. Iam vero, iis remotis, breuitatis ſtudio, atque ideo etiam, quod perſuaſi ſumus, verſari iam librum hunc multorum in manibus ea tantum indicemus, quae propria notatuque maxime habet digna. Continentur igitur in eo vltra trecentae ſpecies vel arborum, vel fruticum, vel ſuffruticum, quas omnes Cl. Auctor primo curate denominat, deinde earum ſynonyma determinat memorabiliora, additque nomina Germanica, Anglica et Gallica, quae quidem omnino ſunt ſcitu digniſſima; tum, ſi quae ſint icones bonae, eas laudat, nonnullasque nouas hic eleganter delineatas tradit plantas; poſtea deſcriptiones plantarum ſaepius dat, atque ſemper obſeruationes egregias refert, quae et ad fructificationis hiſtoriam, et ad culturam earum vtiliſſimae deprehenduntur. Laudat Cl. Auctor humanitatem Ill. Nobilis DE VELTHEIM, DE MÜNCHHAVSEN et Cl. POTT, qui ſibi obſeruationes communicarint. Recenſet vero plantas ordine alphabetico, quo eo citius earum numerus, ſpecies atque varietates computari poſſint:

ſyſtematicum earum indicem, vt et alphabeticum et catalogum librorum allegatorum libro praepoſuit.

Plantaria Harbeccenſia ſumtibus poſſeſſoris Nobilis DE VELTHEIM exſtructa ſunt et in aridis, parumque fertilibus collibus, et in vallibus. Separatae ſunt arbores ſemper virentes et aceroſae ab iis, quarum folia quotannis decidunt, nuper tamen plantarium vtrasque continens conditum eſt. Solum maxima ex parte eſt limoſum cum terra ſabuloſa commixtum. Iam igitur quaedam ex notatu digniſſimis proferamus, ac primo quidem de botanicis, tum de oeconomicis videamus.

Tom I. p. 1. Quaedam deprehenduntur arbores *Aceris campeſtris*, *rubri* et *Negundo*, maſculis tantum floribus praeditae. Petalorum numerus in hoc genere variat, vt octo interdum ſint. Eo ordine ſpecies huius generis recenſet Cl. Auctor, vt eas, quae foliis ſibi ſunt ſimiles, coniungat, ordiens ab indigenis.

p. 8. *Acer ſtriatum**), quod depictum dat, et ſollicite deſcribit, ex America boreali ortum, maio floret, differtque in eo a *Penſylvanico* et *Pſeudoplatano* maxime, quod pedicelli ſint vniflori. Corolla calice longior eſt, ſtamina 7—8, antherae dilute flauae, cortex glaber, in inferiore trunci parte albo viridique ſtriatus. Arbor, quae, cum floreret, anno octauo ſexpedalis erat, hyemis frigus perdurat. In

p. 17. plantario Harbeccenſi nulla *Aceris rubri* colitur arbor, quae femineos tantum flores obtulerit, ſed omnes aut hermaphroditos, aut mares ferunt. Folia maris profundius fiſſa acutioraque ſunt, calix tetraphyllus, foliolis oualibus tomentoſis, corolla monopetala irregulariter quinquefida, ſtaminaque corolla longiora. Hermaphroditi calix eſt ſexfidus, corolla tetra- vel pentapetala, ſubinciſa, ſtamina corollae

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 547.

pollae aequalia, antherae diuiſae; non tamen Noſter nouam conſtituere vult ſpeciem *). *Acer Penſylvanicum* LINN. tabula 2 depictum, ita definit: *foliis ſubquinquelobis inaequaliter ſerrulatis, florum racemo compoſito erecto, pedicellis ſubdiuiſis.* Flores parui lutei, iunio florentes. Arbor humilis. *Acer Tataricum, foliis cordatis ſubquinquelobis ſerratis: lobis obſoletis, florum racemo compoſito erecto* dicit. Calix quinquefidus; ſi vero corolla decapetala eſt, octofidus fit. In *Acere Negundo* flores femineos tantum vidit, corollam tetrapetalam. *Amygdalum Perſica* habitu ligni foliorumque, pedunculis biforis, cum *Perſicae* ſemper ſint flores ſolitarii, ſeſſiles, fructuque differre ait: hinc ea, tanquam familias diſtinguit. *Amygdalum dulcem, foliis petiolatis marginibus crenatis, corollis calice vix longioribus,* EMILLERO conſtituit. *Amygdali pumilae,* quam LINNAEVS *Mantiſſ.* I. p. 74. aſſumſit, nullos, cum flore ſit pleno, fructus vidit; incertum igitur eſſe, quosnam proferet, an amygdalas, vel perſicas, vel pruna. Foliatione conuoluta cum *Pruno*; longitudine vero foliorum cum *A. Perſica* quaedam habet communia. *Azaleae viſcoſae* ſtamina, atque ſtylum corolla longiora vidit. *Betulae lentae* iunioris folia aſpera ſunt, adultae demum glabra. *Betulae pumilae*, quae icone eſt egregie delineata, foliis vtrinque, ſubtus tamen magis tomentoſis, amentis erectis, femineis maſculis duplo longioribus, tenuioribus, praedita eſt. *Betulam Alnum incanam*, quam LINNAEVS varietatem tantum habet, vt ſpeciem ſeparat, cum ſemine, amentis, capſulis ſeminalibus aliisque conſtanter differat. Affert etiam *Betulam Alnum rugoſam* **), quae Americae auſtrali

p. 22. p. 28. p. 32. p. 46. p. 50. p. 53. p. 73. p. 92. p. 96. p. 109 p. 112

*) conf. LINN. *Syſt. veget.* edit. XIII. per Cl. MVRRAY, p. 766. vbi etiam fere pro alia ſpecie aſſumitur.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 546.

p. 124. auſtrali inhabitat. In *Carpino Betulo* ad ſedecim
numerauit ſtamina; in *C. Oſtrya* plura, quam ſe-
p. 143. decim, atque duo tantum piſtilla. Addit *C. Virginianam* et *orientalem* diſtylam. *Celtis occidentalis*, cum paullum contra frigus munita eſſet, in plantario Brunſuicenſi fructus tulit maturos rubros.
p. 146. Corollae in *Cephalantho occidentali* laciniae ſunt ouales; antherae oblongae, erectae, bifidae; ſtigma
p. 148. globoſum, punctatum. Non vidit Noſter in *Cerd Canadenſi* folia pubeſcentia, quae dicit LINNAEVS.
p. 151. *Chionanthi Virginicae* corollam interdum in ſex vel octo etiam lacinias diuiſam vidit, atque tum ſtamina quoque vel tria, vel quatuor aderant; ſtylus, ex Noſtri obſeruatione, calice multum eſt breuior. Male etiam Cl. DU HAMEL ſynonymon PLVKENETII, quod ad *C. Zeylonicam* LINN. pertinet,
p. 154. huc refert. *Clethrae alnifoliae, foliis alternis, ouato-anguſtioribus, vtrinque acuminatis ſerratis*, perianthii foliola ſunt lanata *apice incurua*, petala calice *duplo* longiora, atque vnicuique petalorum vngui baſi ſubnata ſunt petala ſpuria, filamenta corolla *paullum longiora*, germen margine lanatum, ſtylus ſtaminibus longior: reliqua cum charactere, a LINNAEO dato, congruunt. Semen eius per annum in terra latet, atque ſurculi biennio egent,
p. 159. vt radices agant. *Coluteam orientalem, foliis cordatis minoribus, caule fruticoſo*, dicit, quae LINNAEO
p. 172. eſt varietas β. *arboreſcentis*. *Corylum maximam, ſtipulis oblongis obtuſis, ramis erectioribus* (*die Lambertsnuß*) cum MILLERO et DE MÜNCHHAVSEN vt ſpeciem diſtinguit: vti quoque *C. arboreſcentem*
p. 184. *laciniis perianthii pinnatifidis*. Inter *Crataegi* ſpecies *Crataegus vniflora, foliis lanceolato ouatis ſerratis, ſubtus villoſis, ſtipulis ſemicordatis, floribus ſolitariis, calicibus foliaceis, ſpinis longiſſimis* notanda eſt: de *C. lucida* ſupra *) diximus. Addit etiam ex

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 545.

ex MILLERO *C. alpinam, foliis oblongo ouatis ſerratis vtrinque virentibus.* Diſtinguit etiam *Cytiſum alpinum, foliis ouato lanceolatis, racemis longioribus pendulis, caule fruticoſo.* Et in *Daphne Mezereo* et *Laureola* vidit Noſter corollae oppoſitas lacinias duas eſſe maiores, duas minores. Cum Cl. SCOPOLI (*Flor. Carniol.* ed. II. P. I. p. 166) *Euonymum verrucoſum* et *latifolium* (ibid. p. 165) aſſumit. Ex MILLERO *Fraxinum rotundifoliam, foliolis ouato lanceolatis ſerratis, floribus coloratis;* cuius flores ſunt purpurei, foliis praecociores; et *Carolinianam, foliis integerrimis, petiolis teretibus, fructu latiore;* et *Fr. nouae Angliae, foliis integerrimis, in mucronem productis, petiolis teretibus*, affert: quas poſteriores LINNAEVS in *Fr. Americana* coniungit. Definit *Hypericum Kalmianum, floribus trigynis* (non pentagynis), *caule fruticoſo, foliis lineari lanceolatis marginibus reuolutis. Iuglandem cineream* LINN. *oblongam* dicit, *foliolis cordato lanceolatis inferne neruoſis, pedicellis foliorum pubeſcentibus;* additque *Iuglandem glabram, foliolis cuneiformibus ſerratis, exterioribus maioribus*, ex MILLERO: vti quoque *Liguſtrum Italicum, foliis lanceolato acutis, ſemperuirentibus. Myricae Ceriferae* var. β. LINN. vt ſpecies nominat cum MILLERO *Myricam Carolinienſem, foliis lanceolatis ſerratis, caule ſuffruticoſo.*

p. 208. p. 225. p. 286. p. 310. p. 368. p. 440.

Diximus ſupra*), quomodo a Noſtro *Pini* genus determinetur, diuidaturque: nunc tantum notemus, definiuiſſe Cl. Auctorem omnes ſpecies ex ſuis legibus, atque, praeter illic indicatas nouas, addere ex MILLERO varietatem *ſylueſtris, Pinum rubram, foliis geminis breuioribus glaucis, conis paruis mucronatis. Pinum montanam, foliis geminis, conis pyramidatis, ſquamis oblongis obtuſis, trunco ramisque flexuoſis;*

Tom. II. p. 11. p. 16.

*) vid. comm. noſtr. l. c. p. 546.

xuosis; quam certe semper immutatam manere ait;
p. 38. *Virginianae* varietatem *Pinum echinatam, foliis geminis et ternis; conis oblongis incuruis, aculeis squamarum reflexis: Pinum sylueſtrem* esse interdum dioeciam ex OELHAFENII libro *) monet. Quas HALLERVS distinguit *Pini Cembrae* arbores vel Sibiricas, vel Helueticas, Noster easdem putat atque locorum differre tantum diuersitate, cum ex seminibus Sibiricis Tyrolensibusque similimae natae sint arbores. *Platani orientalis* folia iuniora tantum palmata esse, adultiora fieri quinquepartita, esseque semper glabra, subtus venosa. *Pruni* genus diuidit in familias, *Prunum, Armeniacam, Cerasum* et *Padum:* ad definitionem *Pruni Sibiricae* addit esse eam *petiolis glanduloſis; Prunum Mahaleb* vero, non ouata, sed *subcordata folia, petiolosque glanduloſos* ferre. Nova est *Prunus nana* **) Cl. Auctoris, quam hic egregie depictam dat. Ex MILLERO assumitur *Prunus Padus Carolina, foliis lanceolatis acute denticulatis semperuirentibus.* Subdidit *Pyrum,* in *Pyrum, Malum* et *Cydoniam.* Inter *Pyros* relatae sunt: 1. *Pyrus irregularis, foliis ouatis acute ſerratis, floribus cymoſis;* quam descripsit Ill. DE MÜNCHHAVSEN ***). 2. *Pyrus Amelanchier,* quam LINNAEVS ad *Mespilos* refert: coniungere haec dicitur a Nostro *Mespilum* cum *Pyro:* esse enim eius semina mollia, sed deesse valuas cartilagineas. *Pyri Cydoniae* tres species ex MILLERO facit *Cydoniam oblongam, foliis oblongo ouatis, subtus tomentoſis, pomis oblongis, baſi productis. Cydoniam maliformem, foliis ouatis, subtus tomentoſis, pomis rotundioribus. Cydoniam Luſitanicam, foliis obuerſe ouatis, subtus tomentoſis.*

In

*) vid. supra p. 193.
**) vid. comm. nostr. l. c. p. 545.
***) vid. *Hausvater 5ter Theil* p. 246.

In *Quercus* ſpeciebus hinc inde definitiones ſunt emendatae a Cl. Auctore, atque depicta folia *Quercus rubrae* *), *foliis ouato oblongis, obtuſe ſinuatis, angulis ſetaceo mucronatis: Quercus paluſtris* **): *Quercus albae, nigrae, Marylandicae* et *Primus.* Ad *Rhois* ſpecies adiicit *Rhus Canadenſe, foliis pinnatis, obſolete ſerratis, lanceolatis, vtrinque glabris, panicula compoſita*, MILLERI. p. 236. p. 265.

Quantum operae, diligentiaeque in determinando *Roſae* genere Cl. Auctor adhibuerit, ſupra ***) vidimus: quasdam hic enarratas, non a LINNAEO nominatas, repetamus: *Roſam luteam, calicibus ſemipinnatis; germinibus globoſis, pedunculisque glabris; foliolis ouatis, glabris, ſerratis, ſerraturis petiolisque villoſis, glanduloſis; caule aculeato. Roſam muſcoſam, calicibus ſemipinnatis; germinibus ouatis; pedunculis foliorumque ſerraturis hiſpido viſcidis; caule petiolisque aculeatis; foliolis ouatis, ſerratis, glabris:* et *Roſam Damaſcenam, calicibus ſemipinnatis; germinibus ouatis, turgidis, pedunculisque hiſpidis; caule petiolisque aculeatis; foliolis ouatis acuminatis, ſubtus ſubuilloſis.* Vt ſpeciem, recte diſtinguit Cl. Auctor *Sambucum laciniatam, foliis pinnatis, foliolis laciniatis, floribus vmbellatis, caule fruticoſo.* Ad *Syringas, S. laciniatam, foliis lanceolatis, integris diſſectisque* ex MILLERO refert. p. 368. p. 369. p. 413. p. 447.

Tiliae ſpecies auget *Tilia cordata, foliis cordatis acuminatis, inaequaliter ſerratis, fructibus quinquelocularibus, tomentoſis: Tilia Americana, foliis cordatis acuminatis ſerratis ſubtus piloſis, floribus nectario inſtructis:* et *Tilia Caroliniana, foliis cordatis obliquis glabris ſubſerratis cum acumine, floribus* p. 466.

*) v. LINN. *Spec. plant.* p. 140.
**) v. comm. noſtr. l. c. p. 546.
***) vid. ib. p. 545.

p. 502. *nectario inſtructis.* *Vlmo* addit *Vlmum ſatiuam, foliis ouatis acuminatis duplicato ſerratis, baſi inaequalibus:* et *Vlmum Hollandicam, foliis ouatis acuminatis rugoſis, inaequaliter ſerratis, cortice fungoſo:* Hae ſunt, quas nouas, vel aliter definitas exhibet Cl. Auctor plantas. Ceterum generatim diligenter ad ea, quae perfectam plantarum adumbrationem ornant, attendit, foliorum nempe ſitum, involutionem, bracteationem, florendi germinandique tempus, ligni ſtructuram et colorem, corticisque demum varietates.

Oeconomica vniuscuiusque arboris tractatio plenior perfectaque a Cl. Auctore data eſt, quae reſpiciat et arborum culturam, et vſum, qui ex ligno, cortice, radice, fructibus etc. in oeconomiam et medicinam redundet. Itaque, cum plures exoticae arbores in plantario hoc cultae ſint, ſpeciatim indicat, quod ſolum quaeque amet, quae varietates ex ſoli differentia ſequantur, quo et modo, et tempore ſint ſerenda ſemina, quibus modis multiplicari arbores poſſint, quae arbores melius ex ſeminibus, quae alio modo pronaſcantur, qualem tempeſtatem quaeque ſuſtineat. Sic alias exoticas, plures Virginicas et Canadenſes, hiemis frigus perpeti experientia docuit; alias iuniores eſſe in tepidario reſeruandas; adultas vero liberi aeris iniuriis exponi poſſe; ex his eſſe e. gr. *Bignoniam Catalpam, Cercin Canadenſem, Cephalanthum occidentalem, Clethram alnifoliam, Gleditſiam triacantham,* et *inermem, Hibiſcum Syriacum, Iteam Virginianam, Iuglandem* etc. Alias exigere, vt ſtramine parum obuolutae a frigore muniantur, vt *Celtis occidentalis, Laurus Benzoe, Liquidambar Styraciflua, Magnoliae, Liriodendra, Periploca graeca* etc. Ad ea vero, quae ſpecialem culturam, atque vſum attinent, Lectores ſunt ad ipſum

ipſum librum remittendi, cum nos, per breuitatis leges, pauciſſima tantum excerpere poſſimus.

Aceris ſemina vere optime ſeruntur, atque are- Tom. I.
na mixta ſicco in loco tuto reſeruantur, aliaque in
loca transmittuntur. *Aceris Pſeudoplatani* ligni pro- p. 4.
prium id eſt laudandum, quo a verme difficilius p. 7.
exedatur. Ex ſucco *Aceris Pſeudoplatani, Platanoi-*
dis, ſaccharino, rubro et *Negundo* ſaccharum pa-
rari poteſt. *Betulae* et *Quercus* ſemina non mixta, p. 85.
ſed ſeparata ſerere mauult: cum a ventibus agita-
tae *Quercus* laetius creſcant, *Betulae*que iis nutriti-
vos ſuccos detrahant. E *Betulae nigrae* ſucco ſac-
charum paratur. *B. Alni* ſemina optime eiusdem p. 102.
anni octobri vel nouembri ſeri ait, niſi in locis,
per hiemem aquae expoſitis, vbi vere ſunt ſerenda.
Plura de transplantatione huius arboris egregia do-
cet. *Corni floridae* lignum duriſſimum, vtiliſſimam p. 168.
arborem reddit; eſt et eius cortex antifebrile. De
Fago egregie docet quo modo ſeri et faginetum coli p. 212.
debeat. *Ilicem Aquifolium* menſe auguſto optime, ſi p. 318.
caute fiat, transplantari expertus eſt. *Iuniperi Vir-* p. 349.
ginianae et *Carolinianae* cultus noſtris in terris eſt
ſuadendus, cum lignum iis ſit duriſſimum, et pu-
tredini non facile ſubditum.

Pinus Cembra lignum praebet, quod tineae Tom. II.
fugiant; magnaque eſt eius gemmarum vis in p. 56.
ſcorbuto. *Pini Strobi* culturam valde commendat, p. 60.
propter tenacitatem atque alias laudandas virtutes
ligni. Iunioris *Pini Laricis* flores femineos de- p. 71.
cerpi ſuadet, cum celeri nimis fertilitate earum in-
cremento detrahatur. *Pruni Mahaleb* lignum egre- p. 185.
gii eſt odoris, atque contra maniam ab Hiſpanis
probabiliter adhibetur. *Pruni Laurocerafi* flores p. 198.
foliaque, cum lacte cocta, gratum amygdalinum
ſaporem

ſaporem ei tribuunt; ſed neruis ea eſſe infeſta ex morte quorundam expertum eſt.

p. 242. *Quercus* optime per ſemina multiplicantur, atque glandes autumno ſunt ſerendae. Arbores quarto anno transplantandae, ſi vero tardius id fieri neceſſe ſit, anno prius, quam transplantantur, radices a reliquo ſolo ſunt ſeparandae atque anno
p. 312. elapſo caute transplantandae. Ex baccis *Ribeſii rubri* preſſis, mixtisque cum aqua et ſaccharo, fermentatione vinum, *Campanenſi* ſimile, parandi mo-
p. 496. dum indicat. *Vlmum campeſtrem* amare humum, non arenam, atque libero aeri ſolique expoſitum locum: transplantari anno octauo optime experientia docuit.

III.

Deſcriptionum et iconum, rariores et pro maxima parte nouas plantas illuſtrantium Liber I. conſcriptus a CHRISTIANO FRIIS ROTTBOELL, M. D. Anat. et Botan. in Vniverſit. Hafnienſi Profeſſ. Hafniae, ſumptibus ſociet. typographicae, 1773. fol. plagg. 22. tab. aen. 21.

Primo hoc libro continentur modo gramina; de quibus Cl. Auctor iam quaedam in peculiari programmate, 1772 edito, praemonuit, operis autem rationes nunc in praefatione reddidit. Plurima hic memorata gramina collegerunt GERHARD KOENIGIVS, miſſionis Malabaricae medicus, et FORSKAEHLIVS; horumque prior ſpecimina ex India miſit, alterius autem herbarium viuum magnam rariſſimarum, inprimis Cyperorum, cohortem exhibuit. Collectio ROLANDII Surinamenſia obtulit. FORSKAEHLII autem aduerſaria conſulere non licuit Auctori: hinc etiam ſpecierum, ex

ex Eiusdem herbario memoratarum, descriptiones perfectas, loca natalia, vsumque exhibere, non vtique potuit. Laudauit etiam artis hippiatricae professoris ABILDGAARD in hoc opere exornando singulare studium, quippe qui non solum tabulas octodecim priores nitidissime delineauit, sed minutissimas etiam fructificationis partes saepius extricando, Auctoris descriptiones partim confirmavit, partim correxit, et perfectiores reddidit. Inter multa, aut penitus noua, aut iconibus et descriptionibus non satis illustrata gramina, quaedam etiam occurrunt, cognita et diu perspecta, vt *Scirpus articulatus*, *miliaceus*, *dichotomus*, *Cyperus articulatus*, *odoratus*, *fuscus* etc., ast cum rara sint, omittere noluit. Inter satis nota, ea, quae LINNAEVS in vltima Mantissa nominauit, et breuiter descripsit, minime retulit, cum Illustris Archiater specimina ab eodem Collectore acceperit, eodemque fere tempore descripserit, quo Auctor descriptiones suas confecerit. Repetiit hinc eadem, et pleniori descriptione, additisque, vbi haberi poterant, synonymis ac figuris egregie illustrauit.

Tria noua Cel. Auctor confecit graminum genera; ast plura facile constituere potuisset, si ob leuem, in parte quadam fructificationis differentiam, eadem multiplicare voluisset. In *Cyperi* et *Scirpi* genere coniunxit species, etiamsi aliae vnum, vel duo modo stamina, loco trium, vel duos stylos, loco vnius, habeant, et *Schoenum*, qui *compar* a LINNAEO dicitur, quam parum natura eiusmodi differentias fecerit, luculenter monstrare, monuit Auctor, cum ille in flore terminali tria, in reliquis quatuor ostendat stamina; sic porro nec *Scirpum dipsaceum*, ob germen prorsus singulare, scil. lineare, incuruum, concauum, margine vtroque spinulis

nulis ciliatum, a reliquis ſeparauit, nec *Schoenum inuolucratum*, etſi ſquamae ſexciliatae, ſtamina et piſtillum cingentes, peculiarem characterem oſtendunt, ab iisdem generibus remouere voluit.

Septem ſunt genera, quorum ſpecies hic recenſuit Cel. Auctor, harumque ſumma eſt nouaginta. Primum eſt *Reſtio;* hoc pro nouo habuit, antequam LINNAEVS illud conſtituit, eidemque *Kyllingae* nomen adſcripſit; quod quidem nunc cum Linnaeano commutauit, aſt paullo mutatum characterem genericum expoſuit. Calicem Ille nullum, praeter ſquamas, flores diſtinguentes, aſt ſet petala admittit; cum vero folia tria exteriora figura et fabrica a tribus interioribus conſtanter differant, eadem ſeparauit, et in calicem ac corollam diſtinxit. Huius generis decem deſcripſit ſpecies, quarum modo vna hactenus innotuit, ſcilicet *Reſtio dichotomus*, reliquae omnes, vt nouae, accedſerunt.

p. 1.

p. 10. Secundum dicitur *Chondropetalum;* multum convenit cum priore, aſt ſquamarum et floſculorum, nec non calicis et corollae proportione atque fructura penitus inuerſa, petalorum inprimis rigida et cartilaginea natura, molli ac membranaceae teneritudini prioris prorſus oppoſita, euidenter diſcrepat. Hinc ſeparauit, et a natura corollae cartilagineae nomen generi impoſuit, eidemque ſequentes characteres tribuit. Spica imbricata ſquamis concauis, coriaceis, rigidis, flores diſtinguentibus; flores dioici, triquetri, ſolitarii in axillis ſquamarum, quibus longiores, ſeſſiles. Maſculi perianthium tribus conſtat foliis, quorum duo concaua carinata exteriora, tertium interius planum amplexantia; petala tria, calice multo longiora, cartilaginea, rigidiſſima, quorum duo nauicularia, carinata,

carinata, compreſſa, tertium erectum planum; filamenta tria membranacea breuia, aſt antherae longitudine ipſius coroſſae; in feminis germen triquetrum magnum, ſtyli tres patentes, et ſtigmata plumoſa. Huius generis duas modo, aſt nouas recenſuit ſpecies.

Tertium quoque nouum genus fiſtit, etſi eius- p. 12.
dem ſpecies plures dudum innotuerunt. Fuerunt autem illae ad alia genera relatae, nunc ex characteris conuenientia coniunctae. Dixerat in programmate Auctor *Schoenoidem*, nunc appellauit illud *Kyllingam*, a Clariſſimo Danico medico. Character ſequens eſt: Flores in capitulum vel ſpicam imbricati, calix gluma biualuis, valuis lanceolatis, concauis, altera breuiore; corolla gluma biualuis, calice multo longior, valuula altera maiore, lanceolata, acutiſſima, concaua, gibba, marginem alterius breuioris anguſtioris amplexante; ſtamina tria; germen ouatum campanulatum, margine altero gibbum; ſtylus bi- vel trifidus, ſtigmata ſimplicia. Reduxit huc, et deſcripſit *Schoenum coloratum* et *Scirpum glomeratum* ac *cyperoidem* LINNAEI, duasque nouas addidit ſpecies.

Sequitur quarto loco *Cyperus*. Cuius ſpecies p. 17.
plures difficile inter ſe verbis, melius viſu diſtingui poſſe monuit, et characterem genericum a LINNAEO datum, vnica nota emendauit; ſquamas ſcilicet omnes, duabus infimis quandoque exceptis, floriferas, easque, ſi attente ad baſin conſiderantur, alternas eſſe, obſeruauit. Species memorauit quadraginta, quarum aliquae nouae ſunt, plurimae a LINNAEO iam adductae.

Quinto capite *Scirpum* poſuit, eiusque charac- p. 44.
terem genericum ſequentem dedit Cl. Auctor: ſpica vndique

vndique ſquamis imbricata, cunctis, ſi inferiores duas, quae tunc loco inuolucri haberi poſſunt, in pauciſſimis ſpeciebus exceperis, flores ſolitarios includentibus, et a proximis diſtinguentibus; corolla floſculis nulla; ſtamina tria; germen triquetrum vel gibbum, cum ſtylo tri- vel bifido, ad baſin, vel apicem germinis in paucis ſpeciebus ſunt ſetae paruae, breues, quae vero in plurimis, a LINNAEO ad hoc genus relatis, deficiunt. Qua ratione *Scirpus* a *Schoeno* differat, ex huius deſcriptione apparebit; a *Cypero* autem rotunditate ac toroſitate ſpicarum, inprimis imbricatura non diſticha, ſed omnigena diſtinguitur. A *Caricibus hermaphroditis* vero difficile remoueri, Cl. Auctor exiſtimauit. Capſulas enim, vel Linnaeana nectaria, ſemen inuoluentia, *Caricis* generi ſoli non eſſe propria, docent plurimae *Scirpi* et *Schoeni* ſpecies, inprimis illae, quae ſtylum gerunt, pyramidis inſtar, germini impoſitum, quaeque omnes capſulam formant, ſemen vnicum includentem. Huius indolis ſpecies ſub nouo *Pyrgophorae* genere tradere, olim conſtituerat Auctor, nunc vero ad *Scirpum* reduxit, et ſpecies viginti et vnam recenſuit. *Scirpum ſetaceum* et *ſupinum* ac *Cyperum minimum* LINNAEI vnam eandemque plantam eſſe, exiſtimauit, quae teneritate ac magnitudine culmorum, longitudine inuolucri, craſſitie ac numero ſpicarum, vt et ſquamarum, has componentium ratione aetatis et ſoli admodum variat. In *Scirpo ſquamoſo* ſtamen plerumque vnum, raro duo inuenit, aliumque deſcripſit *monandrum*.

p. 48.

p. 60. Sexto capite *Schoeni* ſpecies vndecim exhibuit, de genere autem ipſo notauit: ſpicam duplicis indolis ſquamas oſtendere, inferiores ſcilicet, vel exteriores duras, coriaceas et inanes, ſiue ſteriles, non

non raro ariſtatas; ſuperiores autem, vel interiores, longiores, membranaceas, molles, fertiles, muticasue eſſe; hac autem, licet euidenti, nota praeſente, tamen aſſeruit, *Schoeni* genus prorſus extingui, ſpeciesque vel *Scirpis*, vel *Cyperis* accenſeri poſſe, vti etiam ſuaſor fuit IVSSIAEVS.

Capite ſeptimo nouum propoſuit genus, *Fuirena* nominatum, cuius character eſt: Spica oblongo ouata, vndique ſquamis tricarinatis, ariſtatis imbricata; flos intra ſquamam ſingulam ſolitarius, minimus, tuberculo inſiſtens. Calix, praeter ſquamas diſtinguentes, nullus, petala tria obcordata minima, tricarinata, membranacea, cirro vel filo terminata; ſtamina tria, tuberculo extra corollam, quae multo longiora, affixa; germen acute triquetrum, corollam totam explens, ſtylus vnicus, apice bifidus; huius generis vnicam adduxit ſpeciem, eamque *vmbellatam* dixit. p. 70.

Ex his facile Auctoris in graminibus aliisque plantis examinandis et rite diiudicandis ſingulare ſtudium apparebit, et cum in hoc primo libro deſcriptiones accuratiſſimas, egregiasque imagines exhibuerit, et ſic graminum hiſtoriam inſigniter locupletauerit, continuationes nobiſcum deſiderabunt, et Cl. Auctori ſanitatem et otium exoptabunt omnes.

IV.

Von Würmern des ſüßen und ſalzigen Waſſers, von OTTO FRIEDRICH MÜLLER, *königlichen Kanzley-Rath, der Römiſch kaiſerlichen, Schwediſch- und Bayerſchen Akademien der Wiſſenſchaften, wie auch der Norweger, Turiner und anderer Geſellſchaften Mitglied. Kopenhagen,* 1771.

Verlegts Heineck und Faber. Gedruckt in der Hofbuchdruckerey, bey Nikolaus Möller. 4. 1 Alph. 2 Bogen. Mit 16 Kupfern.

i. e.

De vermibus aquarum dulcium et ſalinarum, Auctore OTHONE FRIDERICO MÜLLIO.

Etſi iam Cl. Auctor in libro, *Hiſtoria vermium terreſtrium et fluuiatilium* inſcripto, qui a nobis proxime ſubiungetur, vermium vberiorem dedit hiſtoriam: cum tamen illic vermes marinos non tractauerit, non iniucundam Lectoribus huius etiam libri ſuccinctam indicationem futuram eſſe perſuaſum ſumus. Eſt enim is omnino et vtiliſſimus propter egregias obſeruatoris clariſſimi doctiſſimique de natura vermium obſeruationes, et, cum additae ſint curatae elegantesque icones, a fratre Auctoris delineatae ſollicite, ipſeque Cl. MÜLLER in *hiſtoria vermium* Lectorem ad hunc librum remittat, neceſſarius.

Correctis characteribus, quos Ill. LINNAEVS et Cl. PALLAS his vermibus tribuunt, quatuor ex iis conſtituenda eſſe genera putat, *Naidem*, *Nereidem*, *Aphroditem* et *Amphitritem*, quarum prior aquarum dulcium, poſteriores maris ſunt incolae.

p. 6. *Naidis* character eſt *corpus ſerpens, elongatum, loco pedum ſimplices ſetae, tentacula nulla, oculi vel duo, vel nulli.* Huius generis ſex conſtituit ſpe-

p. 7. cies. *Nereidem* diſtinguunt *corpus ſerpens, elongatum, pedes ſetis praediti, tentacula ſimplicia, qua-*

p. 8. *tuor oculi.* Septem ſunt eius ſpecies. *Aphroditen* cognoſcitur *ſerpente, oblongato, ſquamato corpore, pedibus ſetis inſtructis, tentaculis annulatis, oculis quatuor.* Huic dat tres ſpecies. *Amphitriti* eſt *corpus elongatum in tubulo reconditum, pedes verruco-*

tentacula

tentacula conglomerata, *oculi nulli*. Quatuor ſpecies enumerat.

Terminos hic definit, vt deſcriptiones intelligantur. Miratur, quod LINNAEVS vermibus caput deneget: illud enim certe adeſſe. Tentaculorum numerum in vermibus incertum eſſe. Quae LINNAEVS tentacula in *Nereidis* genere dicit, ſunt veri pedes. In *Nereidibus* ſunt *porrecta acumina* capitis: ſub capite in quibusdam huius generis ſpeciebus, corpuſcula retractilia deprehenduntur, quae ob ſimilitudinem *mammillas* dicit. Pedes plerumque ſunt *ſetis* inſtructi, ad quorum latera fila carnea in *Nereidibus* pendent, quae *fila lateralia* dicit. *Nereidum* quarundam pedes planis corpuſculis oblique ſitis praediti ſunt, haec *patellae* Noſtro dicuntur. *Naidibus* mobiles *laterales ſetae*, praeter pedes ſeticulatos, datae ſunt.

p. 9.

p. 10.

p. 11.

p. 12.

E *Naidibus* primo de *Naide proboſcidea* tractat. Huius ſynonyma a LINNAEO ſub *Nereide lacuſtri* confunduntur. TREMBLEYVS et ROESELIVS *proboſcideam Naidem* deſcripſerunt: SCHAEFFERVS et LINNAEVS *lacuſtrem*, toto coelo diuerſam. (Poſtea tamen (p. 94) *lacuſtrem* SCHAEFF. non eſſe huius generis monet.) Obſeruationibus aliorum breuiter indicatis, Cl. Auctor primo partes omnes et externas, et internas ſollicite et curatiſſime deſcribit. *Corpus* album pellucidum. *Caput proboſcide*, *prominentiis*que *auriformibus* inſtructum. *Os*, ſub capite ſitum, inciſura eſt, ex qua lingua extenditur, retrahiturque quoties animalculum aquam haurit. *Prominentiae auriformes* non ſunt os, vt ROESELIVS dicit. Praeter ſetas laterales, veri pedes *Naidi* ſunt, qui ex quatuor ſetis minoribus conſtant, neque conſpiciuntur, niſi in inferiori ſuperficie. Articuli corporis numero differunt. *Vas*

p. 14.

inteſtiniforme, quod omne vermis corpus tranſit, et tum viſcus concoctionis, fauces, et inteſtinum rectum, tum vtrinque appoſitae arteriae. In cauda prope anum, humor circulans fluctuans conſpicitur, atque ex eo loco in arterias transfunditur. Forſan igitur hic locus cordis. Venas in *Naidibus* non vidit. Ex inteſtino ſucci nutritii ſtatim in vtrinque appoſita vaſa circulatoria tranſeunt. Sub vaſe illo, alba pellucidaque poſita eſt membrana, quam contextum celluloſum eſſe putat. Nutritur *Nais* haec, vti et omnes congeneres, ſolis inuiſibilibus terreſtribus in aqua contentis particulis.

p. 34. Modus, quo *Naides* multiplicantur, mirandus, eſtque is ita a Cl. MÜLLERO primo inuentus. Non enim ſolum, ſiue ſponte, ſiue de induſtria lacerentur, capite caudaque denuo inſtruuntur; verum corpus etiam, quod vnum prius vermem conſtituebat, in tres, vel ſex cohaerentes vermes euoluitur, quae breui a ſe inuicem ſecedunt. Nempe articulus ani prolongatur, et in eius media parte lineae transuerſae, quae rudimenta nouorum articulorum ſunt, poſt quosdam dies apparent; tum ſetae iuxta eas ſingulas; motus arteriarum ſit in his articulis viſibilis, excrementa per eos tranſeunt; ſetae interiores cutem veteris articuli ſenſim perforant, atque longitudinem iuſtam acquirunt. Quae cum fiunt, transuerſalis linea ſubnigra, diuerſa a prioribus, apparet, atque in prominentias excreſcunt eius anguli, paruaque enaſcitur ex media parte proboſcis; tandem apparent oculi. Cum haec filia mater per quoddam tempus cohaeret. Quid? quod in altera parte articuli analis materni generationis ſecundae, tertiae et perraro quartae rudimenta eodem modo ſe manifeſtant. Porro in ipſis filiabus nouae euoluuntur ſoboles: nam in articulo anali primae et ſecundae filiae iam articuli nouae

ſoboles

ſobolis conſpiciuntur. Ita *Nais* vna e ſeptem generationibus eſt compoſita: qualem delineatam tradit: Omnes hae generationes vno ore et ano, vno humorum vitalium inſtruuntur affluxu, vnoque intestino recto. Filia natu maior adoleta, a matre ſeparatur; quod praecipue motu partis extremae matris fieri videtur.

Interdum alia etiam multiplicandi ratio obſer- p. 39.
vatur, ita, vt ſine vllo veſtigio lineae transuerſalis noua appendix omnibus articulis ſetisque inſtructa euoluatur, quae matrem quadraginta articulis inſtructam mentiatur, donec articulus vnus ex mediis diuidatur appareatque noua ſoboles.

Coitum *Naidum* non obſeruauit: cohaeſio enim p. 42.
earum differt ab illo. Inter centenas tres vidit, in quibus iuxta fauces flauae moleculae, ouarium fortaſſe indicantes, conſpicerentur: obſeruauit etiam in aqua prope hanc partem diſperſos complanatos globulos, qui forſan oua eſſent. Cum tamen ex verme ipſo ea exire non viderit: coniecturam probabilem de ouis earum tantum habet.

Iam Cl. Auctor tentamina exponit, quae circa p. 43.
naturalem atque artificialem *proboſcideae Naidis* et matrum, et virginum, multiplicationem earumque reproductionem inſtituit, eaque tabulis, celeritatem horum euentorum oſtendentibus, illuſtrat: ex quibus, quae ſequuntur, tantum hic referamus.

Celeritas euolutionis in integris *Naidibus*, quo p. 49.
propriores ſunt loco cordis, eo maior eſt; partes earundem in oppoſita ratione euoluuntur. Humor circulans efficit euolutionem. Intra decem vel duodecim dies ab origine prima *Nais* plane euolvitur. Quolibet quinto vel ſeptimo die proles a matre naſcitur. Mater in qualibet generatione dimidiam vel tertiam articuli vltimi partem amittit: quae iactura, cum articuli ad numerum quindeci-

mum imminuti ſunt, euolutione nouorum articulorum reſarcitur.

p. 54. Matri ſi caput demitur, nihil proles patitur, ſed donec illi caput accreſcat, nutriuntur a reſiduo alimentorum in inteſtino recto; interdum proli caput ſimul euoluitur. Minoribus inſtruuntur articulis eae filiae, quarum matri caput demitur. Mater, capite priuata, eo poſt tres aut quatuor dies denuo praedita eſt. Cum natura ſimul in vno animali tria, vulnerum ſanationem, capitis reſtitutionem, euolutionemque noui animalculi efficat: neceſſe eſt, ſint in omnibus horum vermium pa-

p. 60. tibus gemmae, quae ſic euoluantur. Si filia *Naidis* diſſecatur, ad reproductionem caudae eius quinque vel ſeptem dies, capitis vero quatuordecim vel ſedecim requiruntur; contra matris cauda decem vel quatuordecim, caput vero tribus diebus re-

p. 63. ſtituitur. In *Naidibus*, nulla prole praeditis, quas virgines dicit, caput caudaque, biduo nondum elapſo, ſimul oriuntur. Artificialis multiplicatio multo celerior, quam naturalis fit.

p. 64. *Naides* nondum plane diſciſſae iterum coniunguntur, circulusque humorum per laceras partes tranſit. Cum ſponte *Nais* quaedam, duplici prole praedita, ita dilaceraretur, vt proles natu maior ſeparata eſſet, in prolis iunioris poſteriori parte, quae cum natu maioris capite cohaeruerat, verrucas rotundas prominentes vidit, in quibus intus extusue vndae humoris fluentis conſpicerentur: indeque putat, compoſitas eſſe arterias maiores ex multis minoribus canalibus.

p. 67. Monſtra *Naidis proboſcideae* coeca, vno oculo inſtructa, prominentiis proboſcideque carentia dantur: eaque plerumque perfectam interdum tamen etiam monſtroſam pariunt prolem.

Morbus

Morbus *Naidum* eſt, ſi totum earum corpus, p. 68.
poſtremo caput in ſpumam ſubtilem, quae in veſicam expanditur, reſoluitur; ſetis tamen lateralibus remanentibus. Adhaerent etiam corpori *Naidis proboſcideae* duae ſpecies *Vorticellae.*

Nais elinguis ſetis lateralibus ſolitariis, probo- p. 74.
ſcide nulla, minimus vermis, nudo oculo inſtar fili quatuor linearum cognoſcitur. Cutis eius pellucida vas inteſtiniforme, ſubluteum, flexuoſum oculo armato conſpiciendum offert. Caput caudaque ſunt obtuſa, rotundata. Reliquae partes internae et exteriores, et phaenomena cum iis, quae de *proboſcidea* narrauimus, conueniunt. Adeſt ta- p. 77.
men quaedam diuerſitas in modo ſeparationis matris a filia. Nam caput filiae cum matre in puncto tantum cohaeret: illudque ab ea in hoc vel illud latus alternatim contorquetur: communio circulantis humoris inter matrem et filiam tollitur; ſyſtole tamen et diaſtole porro praeſente: tandem ſubito punctum cohaeſionis rumpitur atque filia natat, poſtquam ter aquam hauſerit. Ante ſeparationem omnibus excrementis purgatur inteſtinum, cum mater per decem minuta prima ano careat. Filia *Nais* poſt quoddam tempus, corpore opaco, vtrinque acuminato, media parte craſſo reddito deformabatur, vaſa lateralia materia cinerea replebantur et in ſetis corpuſcula verruciformia haerebant. Poſt quosdam dies plane disparuit.

Nais barbata ſetis lateralibus faſciculatis, pro- p. 80.
boſcide nulla, priorem magnitudine aequat. Ante ſetas laterales faſciculus ſetarum, inſtar barbae, eſt, vnde nomen. Inuenit eam Cl. BONNETVS: Noſter, cum tentamina inſtitueret, quam anno priori copioſe viderat, non reperire iterum potuit.

Nais ſerpentina ſetis lateralibus nullis, collari p. 84.
triplici nigro, a ROESELIO ſatis bene deſcripta:

at vas inteſtiniforme perperam pinxit deſcripſit-que: eſt enim inaequale, articulis noduloſis vel quadratis. Pedibus quingentis et quadraginta inſtructa eſt.

p. 90. *Nais coeca* diuerſa a reliquis defectu oculorum, cauda digitata, vaſe ſanguifero rubro, atque vivendi ratione. Cum tamen eadem ratione multiplicetur, qua reliquae *Naides*, cum iis a Noſtro coniungitur. In cauda eiusdem, cuius digitos *pro ras branchias* dicit, ſanguinis globuli diuiduntur, ſeſe quaſi proſequuntur, atque in fluuio communi coeunt, vt in branchiis *Ranarum Lacertarumque*. In hac venam vidit, magis, quam arterias, fleruoſam. Humorem circulantem in vena rubrum, in arteriis album eſſe maxime miratu notatuque dignum eſt. In ſedimento aquarum dulcium habitat,

p. 99. capite in eo recondito, cauda prominente. Alius etiam vermis, non ſatis disquiſiti, huic ſimilis mentionem facit.

p. 106. Prius LINNAEI quosdam errores corrigit, quam accedat ad *Nereidum* hiſtoriam. STROEMII *Roedaat* (vid. LINN. *Syſt. nat.* T. I. p. 1064) eſſe *Gordii* ſpecies videtur, neque *Scolopendra marina*; neque haec ad Scolopendrae genus referri poteſt, ſed a Noſtro *Nereis variegata* dicitur. Neque verum eſſe, vt a *Gordio marino* LINN. lepra Norvegorum efficiatur, Noſter hic STROEMII ipſius teſtimonio probat. Poſtea verum vermem STROEMII, atque *Gordium*, iam dictum, deſcribit delineatoque tradit. Deſcribuntur nunc *Nereidis variegatae*

p. 120. partes. Corpus eius eſt depreſſum, articulis 85, vtrinque pedatis. Obſcure rubra linea totum corpus percurrens hanc ab aliis ſpeciebus diſtinguit. Corpus verſus caudam anguſtius fit. Cauda eſt vtrinque ſeta rigida inſtructa, inter quas anus. Ad

ſingularum

ſingularum partium deſcriptionem figura, quam dat Cl. Auctor, opus eſt. Notemus tamen tria acumina capitis, mammillas, quarum ope ſentiunt, atque utrinque quatuor tentacula, oculos quatuor, os orbiculare, ſub ſcuto colli poſitum, lineam rubram, arteriae officio fungi, venamque arteria latiorem adeſſe: pedibus multis ſingularibus inſtructam ita mouere ſe, vt poſteriores pedes prius, multos ſimul moueat. Non lucere eandem monet Noſter, neque articulorum numerum *) in vna ſpecie conſtantem eſſe, neque tentaculorum numerum vel magnitudinem.

Cum caſu portio caudae in *Nereide* frangeretur, vidit a parte ea, quae capite praedita erat, folliculum effici, in qua per tres menſes, ſeſe vel leviter mouens, vel quieſcens viuebat, neque forſan periiſſet, niſi, noua aqua marina affuſa, vita priuata fuiſſet. Cum hac laeſa *Nereide*, alia ſana ſimul folliculum parabat, atque omnino eodem modo ſe habebat, vti laeſa. Pars laeſae ea, in qua cauda erat ſemper vehementer ſe mouebat, apparebantque in vulnere duo diſtincta ſubnigra puncta, retractilia, hinc indicantia illic arteriae finem eſſe, atque ipſa poſt quinque hebdomades et quatuor dies mortua eſt. Altera *Nereis*, cum in aqua eſſet, ei non plane conueniens, egreſſum ſubinde moliebatur, tandemque e vaſe in ſiccum egrediebatur: quum verò non aliam aquam inueniret, ſubito retrorſum in vas ſeſe retrahebat. p. 134.

Nereis verrucoſa corpore rotundato, ſupra conuexo, pedibus remotis, e verrucis quatuor compoſitis cauda biſeta, iam ab aliis praeſertim BASTERO deſcripta, eſt LINNAEI *Nereis pelagica*, a Cl. Auctore diligentius definita. p. 140.

*) Generatim monet Noſter in *Scolopendris*, *Iulis*, et in reliquis *Nereidibus* variare articulorum numerum.

p. 144. *Nereis filata* difficulter recte cognoſcitur. Differt a priori pedibus, qui ſinguli ſunt corpus carnoſum, antrorſum flexum, iuxta cuius apicem patella alba, eidemque ſimilis in media pedis parte ſitae ſunt, ſub quibus fila prominent, in apice pedum tria, vel, ſi ab abdominis parte conſpicitur vermis, quatuor conica acuminata ſunt corpuſcula, in quo ſingulo faſciculus ſetarum, a verme, cum natat, in vſum adhibendarum, latet. Corpore eſt verſus caudam anguſtato, et articulo colli, ſubtus rotundato.

p. 150. *Nereis margaritata* tentaculis filisque lateralibus moniliformibus, caudalibus articulis globoſis. Caput eius caret acuminibus et mammillis; inſtruitur tamen tentaculis tribus et oculis quatuor; cauda ſetis duabus: pedes ſunt corpora conica, truncata, e quibus ſetae ſex vel ſeptem eminent.

p. 156. *Nereis maculata*, quae, vt etiam omnes ſequentes *Nereides*, differunt a prioribus proboſcide: hanc Noſter non viuas noſcit, ſed ex iconibus et deſcriptione Cl. KÖNIG, medici miſſionis Danicae in Tranquebar tantum cognoſcit. *Maculatae* tamen nouam iconem et deſcriptionem hic tradit. Macula eſt in articulatione nigra, interque hanc luteae minores. Pedes, *Aphroditum* pedibus ſimiles, patellis maioribus inſtructi, ſunt cylindracei, ſetati. Cauda eſt biſeta, ſetis longioribus, quam tentacula.

p. 163. *Nereis viridis* corpore filiformi, depreſſo, vtrinque anguſtato, a LINNAEO dicta.

p. 166. *Nereis traſſa* corpore ſubdepreſſo, verſus caudam anguſtato, ſegmentis quadraginta, pedibus ſetatis, ſetis ramoſis, capite minore, proboſcide maxima, fronte acuminibus inſtructa duobus.

p. 171. *Aphroditem ſquamatam*, LINN. cum omnes huius generis ſpecies ſquamis ſint praeditae, *punctatam*

flatam dicit, eiusque nouam dat iconem. Corpore est oblongo, vtrinque obtuso. Caput ore subtus posito rugoso, e quo proboscis interdum protruditur, a cauda discernitur. Pedes singuli setis 33 instructi sunt. Quae ad corrigendas LINNAEI et BASTERI descriptiones addit, omittimus.

Aphrodite plana Cl. Auctoris, est LINNAEI *imbricata*. Caput tentaculis duobus instructum est. Pedes sunt bifidi, subtus aculeo praediti. Rostro similis est priori. In hac specie pedes articulique corporis semper numero sunt constantes.

Amphitrite fasciculata est idem vermis cum *Nereide cirrhosa* LINN. Corpore versus caudam angustato obtuse acuminato, annulato. Ore ouato, labio superiore prominente, filis longis, molluscis instructo. Vtrinque anterius in dorso series filorum spiralium adsidet. KOENIGIVS, a quo Noster descriptionem iconemque accepit, rostrum obseruasse se dicit. p. 188.

Amphitrite reniformis corpore annulato, capite plumato, reniformi, tentaculis duobus. Verrucae, quae in vtraque specie adsunt, pedes improprie dici possunt. Neque Nostro huic generi pedum vsus datus videtur. Haec sufficiant, vt de egregio hoc libro, obseruationibus ditissimo, multo studio atque repetitis vicibus a Cl. Auctore institutis, Lectoribus quandam epitomen demus. Qui enim iconum illustratione, obseruationumque deliciis frui cupiunt, ii librum ipsum legant oportet. p. 194.

V. *Herrn*

V.

Herrn IOHANN IAKOB FERBERS *Briefe aus Wälſchland über natürliche Merkwürdigkeiten dieſes Landes, an den Herausgeber derſelben* IGNATZ EDLEN VON BORN, *des heil. Röm. Reichs Rittern, kaiſerl. königl. Bergrath, und Mitglied der königlich Schwediſchen Akademie der Wiſſenſchaften. Prag* 1773. *Bey Wolfgang Gerle.* 8. *Seit.* 407. *auſſer der Vorrede.*

i. e.

IOANNIS IACOBI FERBERI epiſtolae ex Italia, rerum naturalium huius regionis notatu dignioria exponentes, miſſae ad earundem editorem IGNATZIVM DE BORN.

Praeclara ſane laudandaque eſt Cl. FERBERI opera, qui his ſuis epiſtolis magnam Italiae fertiliſſimae naturalibus prouinciae, theſauri partem, praeſertim quae oryctographiam atque geographiam phyſicam ſpectat, nobis etiamnum fere incognitam patefacit; atque ita naturae ſtudioſis accepta offert munera, cum vbique eluceant et Cl. Auctoris in hiſtoria naturali peritia, et in obſeruandis deſcribendisque corporibus naturalibus cura ac diligentia. Immiſcuit his de mineralibus obſeruationibus relationes de viris doctis Italiae, atque ſtatu eruditionis: interdum etiam botanicae mentionem iniecit.

Iter igitur, ex ſolo erga res naturales amore ſuſceptum, fecit Noſter a Vienna per Idriam, Venetias, Patauium, Veronam, Rauennam, aliaque circumſita loca adiit; vnde ex Venetiis per Bononiam et Florentiam Romam venit: ibique commoratus Neapolim iterumque Romam, atque ad varia circumſita oppida Florentiamque profectus eſt: hinc

ad

ad Liburnum Pontum, Geneuam, Auguſtam Taurinorum, Mediolanum iterumque Venetias tendens, tandem trans alpes per agrum Tyrolenſem in Germaniam reuerſus eſt.

Iam de ſingulis quaedam videamus.

Vltra Viennam verſus Vngariam, Auſtriam atque Styriam tractus incipiunt montium calcareorum, qui partim alte eminent, partim late, vallis planitieque interiectis, extenduntur. Circa Wippachium vero diuiduntur, ſiniſtrorſumque per Forum Iulium (*Friauli*) iuxta mare Adriaticum, verſus Iſtriam Dalmatiam atque Archipelagum excurrunt; dextrorſum ad Tyrolenſes alpes, cum Tridentinis Veronenſibusque iugis connexi, adiunguntur. Planities fertilis hanc iugorum diuiſionem interiacet. Calcareus lapis, hos montes conſtituens, et albo griſeus plerumque eſt; interdum vero nigreſcit, vel omnino niger fit: duritie differt: partibus conſtat ſubtiliſſimis, non eſt ſalitus; ſed petrefactis interdum diſtinctus. Hos montes Noſter dicit impoſitos *Schiſto*, vel *argillaceo*, vel *corneo*, qui *Quarzo* et *Mica*, interdum et *Argilla* compoſitus ſit. Hunc *Schiſtum* omnibus montibus his calcareis ſubſtratum cenſet, interdum etiam nudum eleuari. Tum inuenit iuxta Cornovizium, *Granatos ruſtros*, *Baſalti ſpatoſo* WALL. (*Schörl*) viridescente innatos, *Baſaltem fibroſum* nigrum, *Quarzo albo* inditum, et *Iaſpidem viridem*: atque Idriam venit, vbi fodina hydrargyri fertiliſſima in ſtratis ſchiſtoſis reperitur. Fuſionem incolae celant; Noſter tamen eam Almadenſi, quam Cl. JUSSIEU deſcripſit, ſimilem coniicit. In montibus circa Planinam et Aquilaemontium (*Adelsberg*) ſubterraneae maximae ſunt cauernae. Interiacet fertiliſſima regio Wipachium et Meſtram, vbi colitur *Zea Mays*, *Morus*

p. 3.

p. 8.

p. 13.

vel

vel *Populus Italica*, quibus circumuoluuntur vitium ramenta.

p. 15. Patauii hortus botanicus amoeniſſimus, diues a Cl. MARSILIO colitur: hic plantas exoticas ſub dio, feneſtris tantum tectas, per hyemem ſeruari refert. Hortus oeconomicus a PETRO ARDVINO ita dirigitur, vt tentamina ad agriculturam, oeconomiam, artem tinctoriam, quorum primam partem iam editam eſſe hic legimus, inſtituantur. In muſeo academiae, etſi fere inculto, Noſter tamen inuenit *Conchas petrificatas* in *Iaſpide rubro*, varios *Achates*, *Porphyr rubrum* maculis albis, e Cricetta, atque *ferrum*, quod dicebatur, *natiuum*. Laboratorium chemicum, mineraliumque collectio a Comite MARCO CARBVRI curatur. Montes Patauini ſolitarii, *euganei* dicti, componuntur ex *Lauis* varii coloris. Hos, vt et ceteras regiones, illic poſitas, Anglus IOANNES STRANGE deſcripſit, idque academiae obtulit.

p. 20. Vicentiae Cl. TVRRA, academiae de agricultura a ſecretis, degit, inſigni naturalium copia dives, qui florae Italicae, quam optaremus editam, maximam partem iam confeciſſe dicitur. Etiam Epiſcopus MARCVS CORNERVS, botanicum hortum illic colit, qui poſitus eſt in colle, ex cinere vulcanorum coloris nigro bruni, immixtis *Opalis*, et *Silicibus* cauis, aqua impletis, congregato. Praeter montem Baldum *) in Veronenſi regione mons Bolca, propter elegantes *Ichtyolithos* notandus eſt. Hic ſimul detegitur fraus Belgae cuiusdam, qui SEGVIERII botanicam denuo, omiſſo SEGVIERII nomine, edit.

p. 25. Agri culturam in Venetiana regione maxime colli, plurimaque ſcripta tradi magiſtratui agriculturae, cui praeſit IOANNES ARDVINI, et oecono-

miae

*) vid. Cl. SEGVIER *Flora Veronenſis.*

miae et mineralogiae peritiſſimus, Noſter refert. Ex huius libris manuſcriptis, ineditis hactenus, ſuaque ipſius experientia affirmat, Paduanos, Vicentinos, Veronenſes montes calcareos, qui ad eorum tractum, quo Germania ab Italia diuiditur, pertineant, *Schiſto* ſuperſtructos eſſe, eruptionibusque vulcanorum eſſe disruptos, atque *Laua* impletos. ALBERTVM FORTIS *obſeruationes de inſula Cherſo et Oſero* nuper edidiſſe, atque ſe apud IACOBVM MOROSINI, praeter alia, vidiſſe *Lauam*, quae ſic dicto *Achati Islandico* ſimilis eſſet, aliamque coerulei coloris, vtramque inter eruptiones vulcanorum in Venetianis montibus reperiundam: *Zeolitem fuſcum* e Vicentinae regionis montibus Schienſibus (*Schio*) Trettenſibusque (*Tretto*). FRANCISCVM GRISELINI praeeſſe diario ad ſcientiam naturalem et medicinam pertinente (*Giornale d'Italia ſpettante alla ſcienza naturale* et *Giornale di Medicina.*) Ad aliud diarium (*Europa letteraria*) plura conferre doctiſſimam virginem ELISABETHAM CAMINER.

Porcellana Venetiis Florentiaeque conficitur e terra ex montibus territorii Trettenſis deſumta; deeſt tamen ei pingue micaceum atque ſubtile. Doſti Itali contendunt, creſcere mare Adriaticum, cum plateae denuo pauimento ſint augendae; quod tamen Noſter ex ſubſidentia terrae paludoſae deriuat. p. 35.

Ad montes Vicentinos Veronenſesque ex Cl. IO. ARDVINI mente diuidendos in *primarios*, ſchiſtoſos interiores, *ſecundarios*, calcareos prioribus impoſitos, *tertiarios* vel colles ex arenaceis argillaceisque ſtratis compoſitos, ab aquarum inundationibus ortos, Noſter eos, a vulcanis productos addit, obſeruationesque quasdam, quarum plurimae ei ab ARDVINO communicatae ſunt, commemorat. p. 38.

p. 40. rat. *Schiſtus*, primarios montes conſtituens, eſt argillaceus plerumque micaceus, vnde ſaepe argentei ſit coloris, venis quarzeis intermixtis, conſtans interdum ex vndulatis ſtratis. Circa Schio Vicentinum *Porphyr* reperitur, quod Cl. ARDVINI vulcani ſobolem iudicat. Intra *Schiſtum* et calcareum montem poſitae deprehenduntur venae metallicae. Circa *Recoaro* et ſodinae, et minerales aquae ſunt, quas Cl. ARDVINI in diario Italico deſcripſit.

p. 43. Strata calcareorum montium diuerſa ſex numerat: imum a radice alpium ad mediam eorum partem adſcendens, ex innumeris minoribus ſtratis compoſitum, rimisque perpendicularibus fiſſum, in quo petrefacta, etſi raro, reperiuntur: alterum praebet lapidem calcareum denſiorem, albidiorem, minusque fiſſum, in cuius imo ſtrato *Oſtracitae* ignoti occurrunt: tertium iterum ex minoribus enatum, vel nihil, vel conchilia petrefacta, et *Oolitas* continet: quarti minora ſtrata vel rubra, *Ammonitis* plena, vel alba, plerumque pura, ſunt: hoc ſequuntur albi calcarei plura ſtrata, vel nulla, vel diverſa corpora petrefacta offerentia: vltima denique calcarea cruſta (*Scaglia*) ſilicibus variegatis ſcintillantibus repleta eſt, vbi interdum vel ſilices ramos, coralliorum inſtar, formare deprehenduntur, vel thermae, (*Putizze*) hepar ſulphuris olentes, ſcaturiunt.

p. 46. Saxa *Granitarum* et *Quarzi* circa *Galliu*, *Aſiago* et *Campum di Rouerre* reperiunda, quae cum illis a fluuiis Adige et Brenta a Tyrolenſibus montibus allatis conueniunt, indicare videntur, fluvios hos prius altius fluxiſſe. Praeterea ſodinae, in mollioribus *Calcarei* ſtratis inueniendae, recenſentur. Montium tertiariorum alii eruptionibus vul-

p. 50. canorum disrupti, alii, his iam factis, enati ſunt: omnes petrefactis pleni, iisque rarioribus inſignes. Horum quosdam Noſter ſpeciatim deſcribit.

Hos

Hos omnes montes interrumpunt eruptiones p. 56.
vulcanorum, quas Noſter hic vberius deſcribit, va-
riaque earum effecta: inde enim ſtrata lithanthra-
cum *Laua* includuntur, *Laua nigra* cum *albo Mar-*
more miſcetur. Circa montem *di Lovegno* terra p. 59.
Porcellana, vti etiam *Boli* varii coloris fodiuntur,
quae Cl. ARDVINI, a vulcano eiectam, ſubtilem
ſchiſti ſolutionem iudicat. Intra *Lauam* et cineres
etiam ſilicei ſcintillantesque lapides, *Cornei*, *Iaſpi-*
des, *Achates* et *Baſaltes* reperiuntur, quos igne
ſubterraneo productos, etſi non generatim, cenſet.
Praeterea huic *Lauae* inſperſa ſunt *Sulphur*, *Vitrio-*
lum, *Alumen*, *Ferrum*, *Cuprum*, *Stannum*, *Zincum*
et *Argentum*, *Cinnabaris* et *Antimonium fibroſum*.

In itinere ad Bononiam conuenit Noſter BAR- p. 70.
THOLOMEVM BOTTARI, Foſſae Clodiae (*Chioz-*
za) inhabitantem, rerum naturalium, praeſertim
Fucorum, *Sertulariarum*que nouarum inſigni copia
inſtructum et Cl. VIANELLI, tractatu *de Noctiluca*
marina cognitum. Rauennae viuit Cl. GINANNI,
Riminii Cll. BATARRA et BIANCO, Peſarii
Cl. PASSERI *), plurimis ad hiſtoriam naturalem
ſpectantibus litteris celebres. In vniuerſitate Bo-
nonienſi, praeter alia ex Inſtituto Bononienſi co-
gnita, ad artis obſtetriciae cognitionem acquiren-
dam magna collecta eſt vterorum, fetubus omnis
ſitus grauidorum, copia: phyſicam experimentis il-
luſtratam docet Clariſſima virgo LAVRA BASSI:
muſeum plura ab ALDROVANDO, COSPI et
MARSILIO collecta naturalia continet, quorum
mineralia quaedam Noſter nominat: ſunt etiam in
bibliotheca Inſtituti libri, manuſcripti, ALDRO-
VANDI et MARSILII inediti. Vidit praeterea No-
ſter

*) Eius litterae de foſſilibus inſunt in *Raccolta d'opu-*
ſcoli ſcientifici e filologici, ſtampata in Venezia, preſſo
Simone Occhi.

ſter muſeum ZANNONI, hortum botanicum, quem curant Cl. BASSI*), CAIETANVS MONTI, GABRIEL BRVNELLI, praeparata anatomica ab ANNA MORANDI ex cera confecta, et collectionem foſſilium Cl. MARCELLI CORTINORIS, qui Callecutum profectus eſt.

p. 81. Nouam Florentiae a Sereniſſimo Duce fundari academiam, practicas diſciplinas praecipue ſpectantem, eiusque inſtitutionem curare, eique praefuturum eſſe Cl. FELICEM FONTANA, multis doctiſſimis ſcriptis praeclare cognitum, legimus. Muſeum hic etiam ſat amplum ex Rumphiano, Sprocheliano, et priori conficietur. Cl. TARGIONI TOZZETTI, qui, praeter alia ſcripta, iter per Toſcanam**) deſcripſit, muſeum mineralogicum locupletiſſimum poſſidet; cuius Noſter quaedam praecipua corpora enarrat, vti quoque, MICHELII libros manuſcriptos ab eo poſſideri, atque continuationem libri ſaltim de fucis, zoophytis et coralliis ſtudio Eiusdem editum iri. Praeterea hic explicat nomina quaedam Italica ad mineralogiam ſpectantia.

p. 107. Romae plura ſunt, quae ad lithographiam reterum faciant: ſic in vinetis antiqua *Marmora*, *Porphyra* et *Baſaltes* reperiuntur: in palatio *Borgheſe* lapis elaſticus, ex albo antiquo marmore conſtans, ſeruatur, qui, ſi, vna extremitate in terram poſita, hinc indeue mouetur, incuruatur motuque elaſtico iterum ſe erigit***).

Ex

*) In honorem Eiusdem dicta eſt *Baſſia*. v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 423.

**) *Relazione d'alcuni viaggi fatti in diverſe parti della Toſcana. edit. II.* 8. *Vol. I-IV.* 1768. 1770: quod opus nondum completum, ſex tomis augeri debebat.

***) vid. de hoc lapide Cl. ALBERTI FORTIS liber *ſopra l'iſola di Cherſo ed Oſero*.

Ex eruditis Neapoli viuentibus commemoremus Cl. IOSEPHVM VAIRO, de quo Noſter, quod Veſuuium et Zolfataram bene cognoſcat, refert: ANTONIVM MINASI hiſtoria naturali valde peritum, qui e vaſis foliorum *Agaues Americanae* lintea, papyrum aliaque parat, et Cl. GAGLIANI, cuius ſtudio plura ad augendam ſcientiam naturalem patefiunt. p. 118.

Amplam atque elegantem profecto deſcriptionem montium *Veſuuii* et *Zolfatarae* epiſtola vndecima tradit; quae, cum omnis a nobis hic tradi nequeat, a curioſis ipſa eſt legenda. Ea enim, quae Cl. TORRE in Gallico de Veſuuio libro habet, nec ſufficiunt, neque cuncta vera ſunt. *Lapidem calcareum*, huicquè ſubditum *Schiſtum*, in quo origo eruptionum ignearum, a venis ſulphureis accenſis pendentium, poſita ſit, etiam ſub monte Veſuuio extendi Noſter coniicit. Cineres exploſi varii ſunt coloris, et pondere, pluuia, frigore caloreque, ac propria tenacitate in tophum, qui Pauſilippum, Pompeiam Herculanumue conſtituat, ſunt coacti. Ipſe mons altus, extus omnis, *Laua*, quae per annum calet, tectus, cum adiacentibus montibus, *Summo* (*Somma*) et *Ottaiano* dictis prius coniunctus fuiſſe videtur. Iam deſcribit Noſter ipſa corpora mineralia, quae ex Veſuuio erumpuntur, eaque in duas diuidit claſſes, alia, quae per ignem producta ſint, alia, quae prius iam nata in monte repoſita fuerint; inter quae tamen multa Ei falſo illic reperta dici videntur. Ad priora referendae omnes *Baſaltis* (*Schirl*) ſpecies, quae in *Laua* conſpiciuntur, ex quibus praeſertim albi granatiformes notari merentur. Inſunt etiam *Lauae* minores, *Gemmis* colore et duritie ſimiles ſilices: hinc *Gemmas* non natura, ſed ſola duritie a *Baſalte* differre putat. p. 136. p. 144. p. 157. p. 173.

p. 187. *Zolfatara* eſt mons, olim igniuomus, nunc dirutus, ex quo vapores, hepar ſulphuris olentes, exhalant, atque vbi flores ſulphuris, alumen, vitriolum atque ſelenites reperiuntur. Parietes eum cingentes ſunt argillacei, quos prius *Laua* et cineres fuiſſe; nunc vero vaporibus acidi ſulphurei in argillam mutatos addita maiori acidi copia alumen producentes exiſtimat Auctor *). Sal ammoniacum, flaueſcens, nunc ex vno arte facto foramine ita hic colligitur, vt vaſa terrea lateresque ſibi imponantur, ad quae vapores ammoniaci adhaereant. In planitie *Zolfatarae* creſcunt *Arbutus Vnedo* et *Erica carnea* ſola. His adiungitur deſcriptio antiquitatum *Pauſilippi* aliorumque vicinorum locorum.

p. 208. Romae naſcentes plantas praecipuas, atque cultas etiam enarrat: ex quibus notemus *Croton tinctorium*, *Turgioniam hypophyllam* et *Cercin Siliquaſtrum*. Botanici horti curam gerit Cl. LIBERATVS SABBATI, botanicamque docet Cl. MARATTI: quos *Theatrum horti Romani* edere, eiusque primam partem iam abſolutam eſſe refert. In ipſa *Laua* diffracta vidit Noſter *Cryſtallos baſalticas*, manifeſto cryſtalliſationis in igne indicio.

p. 219. Regio circa Romam maximam partem offert colles cineribus vulcanorum, vel nudis, vel calcarea cruſta inductis: quam Noſter hic vberius ſpecitimque deſcribit, ac montium lacuumue nomina, atque, quae illic reperiantur, corpora mineralia, vt varios tophos margaceum, ſolutum et vmbraceum, recenſet.

p. 243. Ex montium verſus veterem vrbem (*Citta vecchia*) ſitorum argillacea terra alumen paratur: eſt ea vel alba, vel albo cinerea, vel coeruleo cinerea, quae acido vitrioli penetrata indurataque eſt, denſa, non

*) conf. Cl. BAUME' mém. ſur les argilles. it. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 426.

non fissilis. Montium horum descriptioni subiun- p. 249.
gitur enumeratio marmorum antiquorum, Romae
a Cl. Auctore visorum: diuidit ea in *Marmor*, *Lu-*
machellum, *Alabastrum*, *Iaspidem*, *Brecciam filiceam*,
Porphyr, *Granitem et Basaltem.*

Impedimur breuitatis studio, quo minus No- p. 276.
strum in itinere ad Senam et Florentiam prosequa-
mur: hinc modo notemus Cl. Auctorem, vbique ex-
acte indicare mutationes successiuas diuersorum ter-
renorum stratorum, corpora obuenientia mineralia,
omninoque regionem totam graphice depingere.
Senae vidit Noster museum Academiae, quod curat
Cl. BALDASSARI, ipsiusque propriam collectio-
nem, in qua, praeter alia, notanda videtur Crystal-
lus natiua sulphurea, flaua, pellucida, columnaris.
In museo Cl. CALLVRI petrificata cochlea in *Si-*
lice pyromacho, et pellucidae, rhomboidales Crystalli
gypseae, obiecta duplicantes, a Nostro visa sunt.
Ratio Docciae porcellanam conficiendi, quam Cl. p. 316.
LORENTIVS GINORI curat, fodinae lapideae,
earumque lapides, atque mirandus lacus Mutinen-
sis *) a Nostro referuntur.

In museo Pisano vidit Noster annulum ex cry- p. 351.
stallo quarzea, intus aqua, cui infectum innata-
ret, repleta factum.

Augustae Taurinorum, cum Cl. RVBILANTE p. 362.
priuatam vitam elegerit, praeest mineralium colle-
ctioni Cl. GRAFION, quorum praecipua, vt et ea,
quae in collectione Cl. ALLIONII Noster vidit,
enarrantur. Notemus petrefactam, nummularia
dictum, ex cochleis constare: et rubrum *Iaspidem*,
in altera parte adhuc *Bolum* mollitie referentem.

In collegio Ambrosiano Mediolani museum vi- p. 380.
dit, in quo, etsi minus bene ordinatum esset, no-

 tatu

*) vid. RAMAZZINI de admiranda fontium Mutinen-
sium origine. Mutinae 1691. 4.

tatu digna eſt cryſtallus *Smaragdina*, vera, ſpitha-
p. 387. maea, ſimilis cryſtallis baſalticis. Inter Mediola-
num atque Venetias montes ſunt, maxima ex parte
calcarei, atque vbique copioſae deprehenduntur
p. 398. variaeque mixtionis *Lauae*. *Porphyra*, trans No-
vam Marchiam *Neumark*) inuenienda, cum et ſu-
perficies, et fiſſilitas fragilitasque eorum id doce-
rent, non eſſe, niſi *Lauas*, Noſter exiſtimat. Iuxta
Brandſol montes ſunt ſchiſtoſi, qui etiam vel ar-
gillacei, vel cornei, vel calcarei in locis propin-
quis conſpiciuntur; in ſummis vero montibus *Gra-
nitae* eminent.

Haec ſufficiant, vt breuiter indicaremus, quan-
tis nouis notatuque dignis rebus repletus ſit liber
hic, atque excitaremus Lectores, qui ipſum legant,
delectenturque amoenis curatisque Cl. FERBERI
relationibus atque obſeruationibus.

VI.

Diſſertation ſur l'arſenic, qui a remporté le prix
propoſé par l'Academie royale des ſciences
& belles lettres (de Berlin) pour l'année
MDCCLXXIII. Par Mr. MONNET, Mine-
ralogiſte employé au ſervice du Roi de
France etc. à Berlin, chez Chrétien Frede-
ric Voſſ. MDCCLXXIV. plagg 2 ¼. 8.

i. e.

Tractatus de arſenico, praemio ab Academia
Berolinenſi dignus iudicatus. Auctore Cl.
MONNET.

Ad quaeſtionem *de fine, cur arſenicum in mineris
plurimis adſit*, quam ſupra *) retulimus, ita re-
p. 6. ſpondet Cl. Auctor, vt doceat, arſenicum eſſe ipſum
ſubſtantiam ſemimetallicam, quae ab aliis metallis
non

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 355.

non pendeat, neque alium eius praesentiae in mineris esse finem, nisi illum, vt ipsum adsit: ostendat deinde, tantum abesse, vt vtile sit metallis, vt noceat potius iisdem, sitque semper pars in illis peregrina. Quod vt demonstret clarius, naturam arsenici primum declarat, tum, quae ei sint effecta, exponit.

A fusoribus metallorum arsenicum primo cognitum, habitumque esse substantiam noxiam: alchymistas tantum idem aestimasse vtile. Purum natiuum arsenicum a CRONSTAEDTIO demum esse descriptum recte. A WALLERIO albi arsenici calcem, natiuum iudicari; at perperam. Ex ignorantia arsenici natiui factum esse, vt alii salinam, metallicam alii, alii mediam inter metalla et salia, alii contra mineralisantem substantiam haberent arsenicum. At vero male arsenico mineralisationem metallorum tribui: quae ab vno sulphure efficiatur. Si enim arsenico metalla in mineras mutari possent, fieri illud deberet etiam a calce arsenici; quod vero non effici docet. Mineram enim stanni, quacum coniuncta sit calx arsenici, non esse metallum; sed ipsam calcem stanni; in minera vero argenti rubra adesse etiam sulphur. Mineras, vbi arsenicum sine sulphure sit, esse metalla vnita et fusa; nec mineralisata. Atque procul abesse, vt arsenico metalla mineralisentur, vt potius ipsum arsenicum sulphure minera fiat. Esse igitur arsenicum, cum metallis iunctum, in forma metallica: non enim coniungi posse calcem metallicam cum metallo, nisi addatur phlogiston.

p. 7. p. 9. p. 10. p. 13. p. 14.

Hinc minerae diuiduntur, a Cl. Auctore in mineras mineralisatas, quae sulphur contineant; non mineralisatas, vbi absit sulphur, quae sint reguli metallici; et eas, quae sint terreae, agglomeratae ac secum consolidatae; atque forsan esse quartam formam

p. 15.

mam minerarum, in terram redactarum, et nihilo ſecius cum ſulphure combinatarum: ſulphur enim certe cum quibusdam calcibus metallicis (vt ferri, et plumbi, et arſenici coniungi.

p. 16. Deſcribitur nunc arſenicum natiuum. Eſt ſubſtantia grauiſſima, duriſſima, quae difficulter frangatur, et in fractura ferreo grano ſplendeat. Acidis ſoluitur, cum aqua forti praeſertim valde effer-
p. 17. veſcit. Ipſum ſolum in vaſis clauſis in regulum ſublimatur combinatur cum omnibus metallis, formatque regulum, illi aequalem, qui ex arſenico albo, combinato ope phlogiſti cum metallis, paratur. Inflammabile eſt; placido igne expandit fumum ſpiſſum, qui continet arſenicum album: remanet terra ferruginea.

p. 19. Adeſt arſenicum in minera argenti griſea, quae ex cupro, ſulphure et arſenico, omnibus mineraliſatis, conſtat. In hac arſenicum metalla tantum
p. 20. magis alba et clara reddit. Minerae, non mineraliſatae, in quibus arſenicum eſt, ſunt minera cobalti alba et minera arſenici (*Miſspickel*). Hae ſunt combinatae ſecum, vt in regulis metallicis. Poſſunt etiam fuſione imitari; ſed ineſt iis pars terreſtris, qua naturales ab imitatione paratis mineris differunt. Minerae illae etiam funduntur, ſed dif-
p. 21. ficilius, quod ab terra iſta pendet. Minerae arſenicales, in quibus metalla in terras ſunt redacta, ſunt minera ſtanni, cobalti nigri vel griſei. In his arſenici calx tantum eſt, poſſuntque, cum purae ſint calces, addito phlogiſto in regulos mutari. Magnus eſt harum minerarum, quae arſenico carent, numerus, a Noſtro hic recenſitus.

p. 23. His praemiſſis Cl. Auctor docet et vlterius exemplis demonſtrat, arſenicum eſſe *et ſemimetallum*, ſi proprietates *metallicas* reſpicias, *et ſemi ſal*, ratione qualitatum ſalinarum, *quod in mineris ſit acci-*

dens,

dens, neque quid ad earum praeſentiam attribuat. Aliter enim nullum eſſe poſſit metallum mineraliſatum ſine arſenico. Iam vero in mineris vitreis argenti et cupri, in minera cupri flaui, cet. ne quidquam quidem arſenici, reperiri; quae tamen ſint verae minerae. Arſenicum igitur ſua ipſius cauſſa, vt alia p. 28. metalla in mineris eſſe, quae non magis ab arſenico pendeant, quam illud a metallis. Quod cum ita ſit, ſponte ſequitur, arſenicum nulla commoda metallis tribuere. Quin potius, ſi reſpicias fuſionem p. 29. atque purificationem metallorum, illud iisdem noxium eſſe: quod ex fuſione minerae argenti griſeae clare pateat, vbi arſenici praeſentia eodem modo ſeparationem cupri impediat, quo in ferri fuſione zincum; cobalto contra facillime ſeparari arſenicum. Stannum impurum fieri ab arſenico; eſſeque p. 32. tribuendas noxas ex ſtanno oriundas arſenico cum eo coniuncto.

Arſenicum denique in metallis cognoſci inde, p. 34. quod ea illud alba et quae facile frangantur, hinc deteriora reddat. Demum confirmat, vana omnia eſſe alchymiſtarum experimenta, quibus effici velint arte poſſe, addito arſenico, metalla in mineras mutari. — Non eſt, quod tractatum vel commendemus, vel laudemus, quem cum ipſa dictionis elegantia, ordo atque perſpicuitas, vtilitasque rei tractatae, tum Illuſtris Academiae honorificum iudicium ſatis ſuperque ornat atque coronat.

VII.

CARL FRIEDR. WENTZELS *Einleitung zur höheren Chymie, welche die Zerlegung der Körper in ſich enthält. Erſter Theil. Leipzig, bey Herrm. Heinr. Holle.* 1773. 8. *Seit.* 182.

i. e.

CAROLI FRIDERICI WENTZEL introductio in chemiam ſublimiorem, quae corporum analyſin in ſe continet. Pars I.

In praefatione Cl. Auctor dolet, quod tam parum haec chemia ſit exculta, cuius cauſſam non tam in difficultate partes conſtitutiuas metallorum inveſtigandi, quam potius in peruerſis huius ſcientiae imperitorum ideis ponit. Vt igitur contra horum praeconceptas opiniones aſſurgeret, haec fundamenta iecit, in quibus principia analyſeos corporum proponit, promittens in parte altera ſyntheſin. Hanc primam partem diuidit in tres ſectiones.

p. 1. Quarum prima continet huius chemiae definitionem, obiecta, differentiam. Haec penitius intrat in internam mixtionem corporum, quam chemia vulgaris, et quae haec in ſuas partes conſtitutivas non vlterius ſeparare vel componere poteſt, pro obiecto habet. Haec reſpectu aliorum corporum tanquam ſubſtantiae ſimplices conſiderandae ſunt. Vocat has mixtiones, quarum partes conſtitutiuas diuidit in ſoluentes et ligantes. Illae vel in forma fluida iam apparent, vel igne demum fuſibiles ſunt et diſpeſcuntur in fixas et volatiles; harum ligantium plurimae ſunt ſiccae et praecipue fixae, hae iterum ſunt vel prorſus infuſibiles, vel difficulter fuſibiles. Tradit nunc claſſes mixtionum tres, ad quarum primam metalla praecipue nobiliora, ſalia alcalina, ad alteram acidum nitri purum, ſal vrinae, ad tertiam camphoram, phoſphorum, ſulphur, cryſtallos tartari refert.

p. 30. In ſectione ſecunda internam qualitatem mixtionum et quidem metallorum et ſalium alcalinorum

rum tradit, ſimul annotans, ſemimetalla a perfectis non eſſentialiter differre: ductilitatem enim aliquid accidentale eſſe, porro mercurium viuum non ineſſe metallis; nec horum ſplendorem ab eo pendere. Sub metallis primum de horum partibus p. 35. conſtitutiuis ſoluentibus, dein etiam de ligantibus loquitur. Illae ſunt ſubſtantiae ſulphureae, quarum notas, conuenientiam, differentiam a vulgari ſulphure, et denique vſum recenſet. Exemplis illuſtrandi cauſſa eligit Zincum, cuius pars conſtitutiua eſt phoſphorus: hic enim reducit eius calcem reconciliatque ei ſplendorem metallicum, ductilitatem, fuſibilitatem, inflammabilitatem, volatilitatem. Sic et in reliquis metallis ſulphur phoſphoro ſimile ineſt, iis modo dictas qualitates concilians, nec vero mercurius, vti fingitur. Exinde patet, cur calces metallorum ſub ſua reductione tam celeriter in ſuam mixtionem recipiant phlogiſton, et ab eo ſtatim formam metallicam et ductilitatem recuperent.

Deinde ligantes partes conſtitutiuas metallorum p. 50. exponit; quae ſunt terra relicta poſt ſulphuris ſeparationem, exhibens poſt vlteriorem analyſin ſingularem terram tingentem, terram talco ſimilem atque ſal. De his nunc ſeorſim agit, terra tingens non differt a terra cobalti et ineſt ferro, mercurio, auro, platinae del pinto; talco ſimilis in ſtanno zincoque reperitur et eſt quaſi baſis mixtionum metallicarum; denique ſal alcali, vtrumque fixum regni mineralis et vegetabilis et alcali volatile praecipue ex regno animali huc pertinet. Horum ſalium primum partes ſoluentes et deinde ligantes conſiderat: illae ſunt verum acidum ſalis culinaris cum phlogiſto arcte iunctum; hae ſunt terra calcarea et magneſia Edinburgenſis.

Deuenit

p. 87. Deuenit denique ad ſectionem tertiam, quae agit de analyſi mixtionum in ſuas partes conſtitutiuas: Hanc diuidit in perfectam et imperfectam; ſub priori explicat modum affinitatem partium conſtitutiuarum in ſuis mixtionibus imminuendi, poſtea definit operationes, primo transpoſitionem, deinde analyſin veram. Illa vocari poſſet ſolutio radicalis et perficitur encheireſibus vel mediis materialibus combinatoriis nempe commixtione, tritura, limatione, calcinatione, digeſtione, fuſione. Haec, nempe analyſis vera mixtionum in ſuas partes ſolventes et combinantes, fit tam in via humida, quam ſicca.

Sequuntur nunc exempla, quibus antecedentia illuſtrantur, vt transpoſitio et analyſis vitri, zinci et ſalium alcalinorum. Altera analyſis, tam ſoluentium, quam ligantium partium conſtitutiuarum eſt imperfecta: illa fit variis modis; Cl. Auctor vero tantum de calcinatione loquitur, et ſub hac exponit, quod phlogiſton et aer ad eam conferant, porro effectus fuliginis in metalla, tum exſtructionem fornacis calcinatoriae, poſtea teſtularum tegularumque modum parandi, tandem praeparationem metallorum ad calcinandum, et calcinationem ipſam docet. Tunc ſecunda analyſis nempe ligantium partium conſtitutiuarum in igne relictarum ſeu analyſis calcinatorum metallorum quomodo inſtituenda ſit edocet, et exemplis ad finem additis, vti vbique ſolet, ſuis principiis lucem affundit clariorem.

VIII.

Chymiſche Abhandlung vom Salpeter. Leipzig 1774. verlegts Io. Sam. Heinſius 8. Seit. 178.

i. e.

Tractatus chemicus de nitro.

Auctor, CHR. FR. SELIG, Doctor et medicinae Practicus Auerbachi, doctrinam de nitro adhuc obſcuram illuſtrare tentauit. Huius generationem naturalem, quatenus praeparationem nitri cryſtalliſati ſimul ſub ſe comprehendit, aliter conſiderauit, ac alii chemici. Etenim principia cognoſcendi, ex quibus hactenus generatio eius diiudicata eſt, non pro ſufficientibus verisque habuit.

Impedimenta in determinandis mixtionibus p. 1.
corporum mediante analyſi et ſyntheſi occurrentia, hincque a ſolida cognitione chemica corporum nos retinentia, ſunt in cauſſa, cur inueſtigatio miſcelae nitri ad doctrinas pertineat difficillimas. Attamen vius nitri chemicus, eius generatio naturalis et artificialis, itemque experimenta cum eo inſtituta, ſimul ſumta ſuppeditant multitudinem analyſium et ſyntheſium, ex quibus principia aliorum iudicari, corrigi, nouaque introduci queant. Primum igitur generationem naturalem ſeu ſyntheſin huius acidi a natura ipſa factam, quatenus in nitro naturali eſt, deinde analyſes eius varias, tunc ſingulares ſpecies generationis artificialis acidi nitri, quale in cryſtalliſato continetur, conſiderat, et, poſtquam ex omnibus his concluſiones elicuit, tandem veram miſcelam, partes conſtitutiuas modumque compoſitionis perſcrutatur. Conſideranda in generatione naturali inprimis eſt mixtio materiarum ad nitrificationem aptarum, harumque rurſus praecipue partium ſalinarum. Has potius cum ſale culinari, quam p. 23.
marino conuenire experimentis et obſeruationibus probat.

probat. Itaque hoc ſal cum partibus oleoſis et inflammabilibus coniunctum exhibet nitro primum ſtamen ſiue baſin.

p. 42. Porro probat, quod hocce ſal putredine alcaliſetur et eo ipſo pars quaedam aereae ſubſtantiae in mixtionem huius alcali intret: inque eo maneat, et

p. 66. per id eadem in verum nitrum mutetur. Hoc ex aere ipſo accedens principium, ſal aethereum vel magis volatilem mercurialem partem aeris, tanquam

p. 70. corpus ſalinum conſideratam, nominauit. Hic ſimul Cl. Auctor varia de putredine proponit annotans combuſtionem et putredinem, vtpote duas ſolutiones corporum, eſſentialiter parum vel prorſus non a ſe eſſe diuerſas. Conſiderat deinde combinationem, in qua materiae putridae cum terra vel cum ſpeciebus terrae ſunt, ſi nitrum formant. Atque igitur nunc ſermonem facit de terris generationem nitri promouentibus eo, quod, cum ſint calcareae, oleoſas partes putridarum materiarum attrahant et quaſi figant. Alcali, quod nitro ineſt, a vulgari volatili alcali in eo differt, quod quidem ſubtile ſeu volatile acidum, vti hoc, poſſideat; at illius phlogiſton alius ſpeciei nempe a principio inflammabili aeris iam ſolutum et quaſi ſeorſim per ſe rurſus alcaliſatum ſit, et quod, hoc reſpectu, nitrum naturale ſpeciem ſalis medii, quod tamen ſecundum ſuum characterem primarium alcali permanet, ſiſtat.

p. 83. Acidum aereum nondum eſſe probatum docet, et ſi quid eſſet acidi in aere, potius eſſe videtur ſimpliciſſimum, nempe acidum ſalis: hoc etiam, vel acidum ſalis ammoniaci ineſſe ſulphuri multis confirmat argumentis. Coniunctio omnium partium nitrum naturale conſtituentium tam exigua eſt, vt hae facile iterum a ſe ſecedere queant.

Tranſit

Transit Cl. Auctor nunc ad cryſtalliſationem nitri naturalis, ſub qua demonſtrat, calcem viuam non mere calcaream terram eſſe, ſed et ſal continere acidum cum principio igneſcente coniunctum ortumque ex ſulphuris mixtione: hinc acidum ſalis ammoniaci materiem acido calcis, ſecundum ſuam fixiorem partem, praebere. Acidum ſalis ammoniaci differt ab acido ſalis eſtque quaſi intermedium inter hoc et acidum vitrioli. Ex his denique colligit, quod, ſi perfecte et accurate mixtum acidum nitri ex naturali nitro oriri debet, non ſolum alcali fixum, ſed praecipue ſal calcis viuae concentratiſſimum ad hoc requiratur, et quod hoc vere vt pars conſtitutiua inſit acido nitri ſatis probauit. p. 100. p. 151.

His praemiſſis elucet, ex quibus partibus acidum nitri, vti in cryſtallis eſt, conſtet, nempe 1) ex acido ſalis, 2) ex principio inflammabili, 3) ſale calcis. In ſequentibus in cauſſam huius combinationis acidi nitri inquirit et addit quaedam de eius coniunctione cum alcali fixo. Denique Cl. MARGGRAAFIO quaedam opponit, qui aſſumit alcali vegetabile vere iam elaboratum et ſeparatione tantum egens in ſalibus acidis e. c. acetoſellae, cremoris tartari eſſe contentum. Atque in fine promittit, mox ſe editurum eſſe alteram partem, inque ea hanc analyſin nitri ſecundum ſuas diuerſas ſpecies, praecipue artificiales compoſitionis conſiderare, et hanc doctrinam de nitri miſcela vlterius corroborare, vel accuratius determinare velle. p. 166. p. 172.

IX.

Verzeichniß der Arzeneymittel zur allgemeinen Curmethode von D. AVGVST SCHAARSCHMIDT. *Berlin* 1773. 8. *bey Chriſtian Friedrich Voß. Seit.* 234, *ohne das Regiſter.*

i. e,

i. e.

Index medicamentorum ad vniuerſalem medendi methodum, Auctore AVG. SCHAARSCHMIDT, M. D.

Praelectionibus academicis accommodatus eſt hic liber, ideoque breuiter remedia ſecundum eorum naturam, partes conſtitutiuas, vires et effecta
p. 7. indicantur. Medicamenta diuiſa ſunt a Noſtro in euacuantia et alterantia. Inter euacuantia occurrunt vomitoria, cathartica, diaphoretica, diuretica, apophlegmatizantia, expectorantia, ſaliuantia, et haemorrhagias promouentia medicamenta. Ad alterantia refert Noſter primum abſorbentia, demulcentia, temperantia, incidentia et haec appellat medicamenta materiam alterantia; dein confortantia et ſedantia, quibus nomen imponit medicamentorum motus alterantium. Atque huc pertinent roborantia, analeptica, tonica, balſamica, adſtringentia, antiſpasmodica, anodyna et narcotica. Remedia plerumque nota hic occurrunt.

p. 62. Herbae rutae vis antidota ineſt, ideoque conducit in morbis contagioſis, imo in peſte. Flores galegae conueniunt cum ruta; et aqua deſtillata florum galegae in malignis febribus et variolis commendatur.

p. 168. Puluis milii conducit in prolapſu inteſtini recti, quod hoc puluere aſperſum ſeſe retrahit.

p. 178. Taraxaci ſuccus cum aqua roſarum ſeu foeniculi dilutus adhibetur in maculis corneae transparentis.

p. 182. Gummi Carannae cum gummi anime vires ſimiles exſerit, et externe potiſſimum ad emplaſtra discutientia et roborantia et fumigandas laxas paralyticas et oedematoſas partes adhibetur.

Succus

Succus chelidonii maioris in pterygiis et verru cis externe commendatur. p. 185.

Gummata kikekunemalum, Loock et Galda referuntur inter remedia cardiaca et discutientia; non admodum autem sunt nota *). p. 207.

Gummi sarcocollae. Arbor eius nominatur penaea. Incrassante et adstringente vi est praeditum. Internus eius vsus est minus tutus. Externe exsecat vim salutarem. p. 220.

Aluminis internus vsus hic non conceditur. Seminibus papaueris albi et nigri adscribitur vis anodyna, non autem hypnotica. Lolium temulentum interne reiicitur, externe in carcinomate laudatur ob dolorum lenimen. Ledum seu rosmarinus syluestris in decocto externe contra scabiem vtilis est. p. 223.

X

Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor 1771. Vol. XXXII. Med Kongl. Academiens Tilstånd. Stockholm, tryckte hos Directeuren Lars. Salvius. På egen Kostnad 1771. in 8. Alph. 1. Tab. aen. 10.

i. e.

Acta Academiae reg. scient. Suecicae anni 1771. Vol. XXXII.

Trimestre primum.

I. NICOLAVS MARELIVS describit *tractum territorii eminentioris in confiniis inprimis Sueciae et Noruegiae.* Eum satis apto vocabulo Sueci appellant, quod Germanice *Landrücken* redderes. Eminentiora haec loca, mox eo facillime cognoscuntur, quod ab iis aquae defluant; igitur recensetur, qui riuuli et amnes ab iis, et in quas aquas maiores currant. Describitur etiam alpium tractus ibidem reperiundus. p. 11.

*) v. comm. nostr. Vol. XIX. p. 467.

periundus. Alpes, *Fjäll* vocant montes adeo altos, vt ne arbores in illis creſcant. Multa igitur habet haec relatio, ad geographiam phyſicam, inprimis regionum borealium vtilia.

p. 14. 2) AND. MAGN. WÅHLIN, M. D. Adſeſſ. et Med. Prof. Iönköpingenſ. agit de *morbo ſpaſmodico conuulſiuo epidemico*, quem Ill. LINNAEVS appellat *Raphaniam* *), alii morbum rigidum, ſpasmodicum, conuulſiuum, ecclampſiam, typhodem cet. dixerunt. Sueci *Drag-ſjukan* appellant. Phaenomena morbi, vt ab obſeruatore accurato fieri poterat, prolixe deſcribit; ſed cum ipſe fateatur, parum haec differre ab iis, quae alii viderunt: hic inprimis commemoranda ſunt, quae habet de cauſſis
p. 24. morbi, ſiue veris, ſiue commentitiis. Inter eas primo loco nominata eſt planta, *Raphanus Raphaniſtrum* LINN. copioſe creſcens inter cerealia, vere ſata. Igitur quantum veri huic accuſationi inſit, et ipſe, vt experiretur, operam dedit, et aliis
p. 25. id negotii commiſit. Creſcit autem planta copioſe in agris quocunque modo cultis, optime in ſabuloſis, inter fruges omnis generis, inprimis auenam et hordeum. Ita res ſe habuit inde ab illo tempore, ad quod memoria hominum pertingit. Satis bene prouenit raphaniſtrum annis humidis, adhuc melius ſiccis, quibus frumenta obumbrat, ſuccum nutritium illis adimit, et maximam meſſis partem efficit. Tot annis praecedentibus, nunquam nociuum ſuſpicati ſunt agricolae, nec a frumentis illud ſepararunt. Noſter, dum illud guſtaret, non ſenſit acrimoniam illam, qua aliae tetradynamiae
p. 26. linguam adficiunt. Semina copioſe collecta 1765; ex illis locis, vbi morbus graſſabatur, animalibus variis

*) v. EIVSD. amoenit. acad. Vol. VItum. it. comm. noſtr. decad. ſecund. Suppl. I. p. 24.

riis dedit, maioribus et minoribus, ſola et frumentis mixta, integra et in farinam comminuta; item panem et alia ex illis cocta. Animalia libenter illa comederunt, nullumque damnum inde perpeſſa ſunt. Igitur audentior factus, infantibus pauperibus plurimum panis dedit, cui adhibita erant raphaniſtri ſemina, quibus id nihil omnino nocuit. Cum autem ſemina, in horreo ſeruata, virium ſuarum forte quid perdidiſſe viderentur: vſus eſt 1766 recentiſſimis, ſub ipſum meſſis initium collectis; ſed eodem euentu. Iam, ſatis perſuaſus, raphaniam non naſci a raphaniſtro, ad alia, quae experientia ſe didiciſſe medici dixerunt, attendit. *Primo* „morbum non apparere, niſi poſt meſſem et panis ex nouo frumento cocti vſum; verſus ver ſequens autem paullatim deſinere.„ Id confirmari viſum eſt ſuis obſeruationibus; ſed contradixerunt obſeruata aliorum, quibus compertum eſt, in morbum incidiſſe plurimos, qui nihil ex meſſe recenti, imo nequidem ex frumento, inter quod raphaniſtrum creſcit, guſtauerant: niſi forte frumenti recentis aliquid acceperint, non ex propria meſſe; ſed e vicinis, quibus meſſis citius peragitur. *Secundo* inter cauſſas morbi refertur „panis ex frumento recenti, inprimis adhuc a furno calens.„ Sed hoc experientia Noſtri non confirmauit. Qui minus bene valuerunt, non pane ex frumento vſi ſunt; ſed pulte, communi agricolarum alimento. Frumentum tamen plantis inutilibus intermixtis impurum, vapores ſpargere nociuos, vbi in horreo tractatur, et vapores naribus et reſpiratione attrahuntur, videtur compertum eſſe. Hoc modo aliquibus initia *morbi rigidi* orta ſunt; ſed debitis remediis ſublata. *Tertio* „pauperiores fere ſolos morbum pati, non vero ditiores experientia comprobauit. Vnde colligit Noſter, nec contagioſum eſſe

P. 27.

P. 28.

morbum, nec, quod VATERVS vult, ab imaginatione et adfectibus animi proficiſci: his enim, ait,
magis parere ditiores, qui tamen liberi a morbo
p. 29. maneant.„ *Quarto* feminibus aliqui vtuntur, quae ante meſſem ex ariſtis exciderunt: itaque varia aliena intermixta habent, vbi colliguntur; ab horum vſu morbum naſci aliqui crediderunt. Sed Noſter, nec damnum inſignius ab vſu impuriorum naſci vidit, nec liberos manſiſſe, qui ſemina purioa ſelegerunt. *Quinto* „ſequi morbum aeſtates pluvioſas, et oriri, cum, frumento ex meſſe anni ſuperioris diu comeſto, auide agricolae recens frumentum deglutiunt.„ Sed et hoc aliquibus in locis ita euenit, aliis in locis, vbi cauſſae omnes eae-
p. 30. dem erant, morbus non apparuit. *Sexto* „morbum etiam animalia aggreſſum eſſe„ non comperit Noſter. Equidem, aeſtate 1765 hieme ſequente, et vere 1766, plura animalia rabida euaſerunt. Sed id non poterat a frumento oriri, cum hominibus eo tempore nihil mali acciderit. Neque *ſeptimo* „morbus cum ſemel domum ingreſſus eſt, omnes, qui iisdem nutrimentis vterentur, inuaſit: ſed inter coinquilinos, omnino idem vitae genus habentes, aliqui decubuerunt, aliqui bene valuerunt.„
p. 31. Supererat ergo inquirere, an inter varia vegetabilia, quae ſolent inter cerealia creſcere, aliquod reperiretur, in quod morbi ſuſpicio caderet. Eo fine haec vegetabilia excuſſit, et ſpecimen florae Iunecopenſis Academiae exhibuit. Sed ne ſic quidem aliquid ad cauſſam morbi faciens detexit.
p. 34. Veroſimillimum ipſi videtur, a morbo infeſtari eos, qui ob paupertatem, a duro vitae genere, putrimentis male ſanis, humores habent ſcorbuticos et cacochymicos; aerem vero reſpirarunt humidum et nebuloſum. Farinam a molendino madentem minus ſanam eſſe poſſe; dum vero ſiccatur, varia

inprimis

inprimis neruos nocue adficientia auolare. Pani coquendo iis in locis idoneum fermentum inprimis autumni initio saepius deest. Sed quantum haec singula, aut iuncta ad morbum faciant, ignoratur. Iam antiqui Medici de clauis secalinis scripserunt. Iis et hunc morbum tribuerunt, et alium, aliquando in Gallia epidemicum, gangraenam spontaneam pedum. Quae quomodo nasci possit ab eadem caussa, vnde conuulsiones nascantur, Noster profitetur, se non intelligere. Distinguunt autem hoc secale cornutum a granis longioribus, ex aristis secalis propendentibus, quae communia sunt annis omnibus frugiferis: haec grana omnino innocua creduntur. Iam, in locis Sueciae, quos morbus infestauit, nullum obseruauit secale cornutum; copiosa vero illa, quae diximus grana, etiam in hordeo. Illa magna copia dedit animalibus, nullo alio effectu, quam quod obstructiones produxerint. Ceterum, nihil insoliti in frumento detexit. Tandem ad insecta delabitur. Agricolae frumento damnum inferri, et illud sanitati nociuum fieri existimant, a *rore mellito*, quem vocant. Iam cum non ignotum sit, hanc materiam nunquam reperiri, sine copia insectorum: non impossibile videtur Nostro, in morbo, de quo egit, partes aliquas esse insectorum. p. 36. p. 39.

3) *De piscatura Gadi virentis* LINN. in regionibus borealibus Norvegiae, agit NIC. CHRISTIANNIIS, Episcop. et Adsess. Consist. Cum alii pisces a mari ad littora accedentes macriores fiant: hic, quo diutius ad littora degit, eo magis pinguescit, a *Scolopendra marina* LINN., quod minutum insectum, piscis auidissime appetit. Moratur saepius in locis, vbi vortices vehementiores sunt, et ibi capitur, non sine piscatorum periculo. Ea occasione, p. 42. p. 43. p. 46.

Epiſcopus vehementiam illorum vorticum deſcribit. Ceti illos intrantes, fruſtra curſum ſuum perſequi tentant: obediendum eſt vortici, et ſaepius viribus fere confectis exeunt. Piſcatores eos intrant, cum non vehementiſſimi ſunt. Infeſta his et aliis piſci-
p. 47. bus eſt *Phoca vitulina* LINN. et aliquibus in locis piſcaturam ad aliquod tempus deſtruxit.

p. 48. 4) *Litteras arbori inſculptas, et ligno deinde obductas*, deſcribit ERIC. GVST. LIDBECK, Hiſt. nat. Prof. Lond. Sconov. Inſculpſit illos Profeſſor Londinenſis LAVRENT. LAVRELIVS, vt oſtenderet, quomodo orta ſit figura aliqua in ligno reperta, quam pulcre depictam fiſtit Ill. LINNAEVS in itinere Sconico. Corticem fagi remouit, et loco ſic aperto inſcripſit annum 1748; ſimilia alia in arbore fecit. Priorem locum aperiri fecit 1756, alterum, cui Guſtaui tunc principis regii, nunc Regis nomen inſcripſerat, aperuit 1764. Fruſta ligni hic aeri inciſa ſiſtuntur. Inter ea, quae de illis refert Cl. LIDBECK, haec ſunt: Fruſtum 1756 exciſum, exterius habebat annulos lignoſos 8, pro numero annorum, quibus in arbore ſederat; alterum 16. Figurae litterarum, in fruſtis exciſis inverſae apparent, vt ſi modulo cuidam fluidum indureſcens, puta gypſum infunditur. Succum arboris repleuiſſe hoc modo litteras inſculptas et induruiſſe cogitat Cl. LIDBECK. (Alio modo haec operatio inſtituta eſt, quam fieri ſolet, cum figurae arbori, cortice non remoto, inſculpuntur aut inprimuntur, deinde etiam in ipſo cortice conſpicuae, quale exemplum Lipſiae 1753 repertum retulit Ill. KAESTNERVS *im Hamburgiſchen Magazin* X. Band p. 511, vbi alia plura memorat, et ſcripta hac de re adlegat. Ibidem optauit, quod etiam eſt votum Cl. LIDBECK, vt hoc experimen-

tum

tum adhiberetur, ad decidendam quaeſtionem, an ſingulis annis annulis arbori lignoſis nouus accedat.)

5) *De calore aquae* obſeruationes edit PETR. KALM, Th. D. Prof. oecon. Oboenſ. Inſtituit illas in itinere ſuo Americano. Fatetur non omnibus rebus, quae deſiderari poſſint, ſtipatas eſſe; ſed etiam haec fragmenta aliquid docent. Vſus eſt thermometro Suecico. Illud in lacus Americanos demiſit, ex mari aquam hauſit, et hauſtae ſtatim inſtrumentum immiſit, repetita ſaepius obſeruatione. Non tamen habere potuit aquam marinam, niſi ad ſuperficiem. Vt exemplum addamus 1748 d. 6 ſept. qui calidiſſimus erat itineris maritimi, aqua oceani inter Europam et Americam, caluit gradibus 27; aeris calor erat 28½. Examinauit etiam puteorum Philadelphenſium calorem: illi profundi ſunt, antliis inſtructi, tecti, vt radii ſolis intrare non poſſint: aquam ex illis hauſtam reperit calore gradibus 11½ aut 11; maio, iulio, ianuario, cum aeris calor variatus eſſet, a 30 ſupra terminum congelationis ad 7 infra. Fontem, potui frigidiſſimum, calere reperit gradibus 6, cum aer caleret 22, et hic aeris calor, aut maior etiam, pluribus ante diebus obtinuiſſet. Etiam lacuum maiorum Americae borealis calorem examinauit, qua occaſione quaedam refert de maximo illorum *Ontario*. Inſulas habet non niſi paucas, paruas, littoribus propinquas. Aliquibus in locis ſex hexapedas profundus eſt. Aquam habet claram, puram, quae illis, qui illi potandae non adſueuerunt, alvum mouet et vrinam expellit. Nunquam hyeme glacie obducitur, pauxillum glaciei ad littora naſcitur. Motus habet fluxui et refluxui ſimiles; ſed nullis ſtatis temporibus. Interdum, aere ſereno et quietiſſimo, vehementiſſime commouetur, nulla conſpicua cauſſa. p. 52. p. 54. p. 55. p. 59. p. 58. p. 56. p. 57.

p. 60. 6) *Inſtrumentum, quo aliquid aquae ex profundo mari tolli poſſit, vt cum alia non commiſceatur*, deſcribit IO. CAR. WILKE. Proxime accedit ad ſyringam vulgarem; ſed cylinder eius inferius valvulam habet, per quam intrare aqua poſſit, non exire. Virga, quae embolo iungitur, altero ſuo extremo funem habet annexum. Itaque machina, mari iniecta, pondere ſuo deſcendit: cum deſcendit, quantum funis permittit, embolus ope funis retrotrahitur, et aqua per valuulam intrat, quae cum tota machina extrahitur. Subiungit experimenta, huius machinae ope inſtituta, circa calorem et grauitatem ſpecificam aquae in freto, quod Sueciam ab inſulis Danicis ſeparat. Poſita grauitate ſpecifica aquae pluuialis aut niualis purae =1; aquae marinae hauſtae exigua quantitate trium pedum infra ſuperficiem, illam excedit decemmilleſimis plerumque 47, quieto mari aut vento orientali; ſed occidentali vento, interdum earundem partium 126. Aquae hae examinatae ſunt calen-
p. 64. tes gradibus 19 thermometri Suecici. Porro, cum thermometrum in aere conſiſteret ad gr. 21; in aqua prope ſuperficiem hauſta oſtendit, gr. 28; e profunditate 4 aut 5 orgyiarum 19; e profunditate 20 orgyiarum 9. Profundae aquae exiſtimat toto anno eandem temperiem eſſe, quod et KALMIVS in Oceano expertus eſt. Porro, grauitatem ſpecificam aquae pluuialis exceſſerunt, partibus, quales
p. 65. diximus, aquae prope ſuperficiem hauſtae 47; e profunditate 5 orgyiarum 54—60; e profundo 20 orgyiarum 189; indicio profundiores aquas magis ſalſas eſſe, quod prodeſſe poteſt, ſalem ex aqua marina cocturis.

p. 66. 7) *Formulas, effectus parallaxeos pro planetae ſub ſole tranſeuntis momentis ingreſſus et egreſſus* edit

ANDR.

ANDR. PLANMAN, Prof. Phyſ. Oboenſis. Quas 1763 ediderat, eae non valent, niſi pro altitudinibus paruis, vbi verticales ſolis et planetae ſumi poſſunt paralleli. Hic igitur generalius computare docet, pro altitudinibus maioribus. Solas tamen formulas edit, et exemplo applicat: nullam demonſtrationem.

8) *Calendarium florae Carlscronenſis* exhibet, additis *variis de loci conditionibus;* IO. IAC. FERBER. Totus ille tractus ex montibus componi videtur, vltra maris ſuperficiem prominentibus; illi tamen ferunt arbores, fruges, et pabulum optimum bobus. Hoc autem calendarium Noſter in excurſionibus bōtanicis cōnſtruxit, dies anni obſeruans, cum vegetabile quoduis eorum, quae obſeruare ipſi datum fuit, copioſe floreret, annorumque plurium experientias comparans et medium ex illis ſumens. Haec comparando cum Calendario florae Vpſalienſis Ill. LINNAEI, animaduertetur, plantas vernales et reliqua veris phaenomena, citius haberi in regione, de qua Auctor noſter ſcribit, *Blekinge* vocatur, quam in Vplandia, quae magis boream verſus ſita eſt: dimidio iunio et ſub initium iulii, iisdem fere diebus florent plantae eaedem, vtroque loco; ſed verſus finem iulii multae plantae citius florent circa Vpſaliam, quam circa Carlscronam. Eius rei cauſſa eſt, quod diutius durant aeſtas et clementior autumni temperies circa Carlscronam, vnde hoc loco minus properant mutationes regni vegetabilis. p. 75. p. 80.

9) *Quomodo cannabis braſſicam contra erucas tueatur?* examinat OELAVS GORDES, Geometra Vpſalienſis. Legit Noſter in libris quibusdam, odorem cannabis auerſari *Papiliones braſſicae.* Itaque circa agros braſſicae colendae cannabim ſeuit; p. 89.

ſed papiliones vidit aduolare aeque, vt ante, et ouula ſua deponere. Poſt tamen ſatis liberam ab erucis braſſicam reperit. Cauſſam itaque inueſtigaturus, auiculas vidit magna copia adeſſe, quae cannabim amant, *Fringillas*, *coelebem*, *cannabinam* cet.

p. 90. eas animaduertit, erucas a braſſica colligere. Itaque credit, has aues, odore cannabis allectas, poſt hoc officium etiam oeconomo praeſtare. Expertum ſe etiam exiſtimat, non opus eſſe, vt quotannis cannabis ad braſſicam feratur: ſufficere, vt id ſemel fiat, aues ita eum in locum ſemel allectas, ſe-

p. 91. quentibus annis redire. Ill. LINNAEVS haec omnia pluribus experimentis examinari debere iudicat. Habuiſſe enim vicinos ſuos, cannabim prope braſſicam, vt ſupra braſſicam propenderet, illorum tamen braſſicam ab erucis eſſe vaſtatam. Eos, etiam, qui fringillas in caueis nutriunt, praebere ipſis experimenti cauſſa poſſe erucas.

p. 92. 10) *Artificium alueum fluminis dato loco profundiorem reddendi* deſcribit FRID. MALLET, Aſtron. Obſ. Reg. Vpſalienſis. Sub initium veris, in ea directione, in qua optatur, vt alueus profundior fiat, glacies cinere conſpergitur, aut arena. Illa glacies prius reliquis liquatur. Itaque per viam, quam aperit, fluit aqua vehementius, ſicque fundum aluei adgreditur et profundius excauat. Simili modo efficitur, vt aqua in pratis aut agris ſtagnans, ſibi ipſi canales effodiat, per quos defluat. Quodſi arena aut cinis niue cadente tegantur, repetenda eſt illo in loco conſperſio. Haec vidit Noſter in Bothnia occidentali.

Trimeſtre ſecundum.

p. 95. 1) *Fines Sueciae et Noruegiae* deſcribit NIC. MARELIVS.

2) *Iis*,

2) *Iis, quae in actis* 1770 *de Xiphia* ſcripſit p. 115.
quaedam addit ALEX. BERNH. KOELPIN. Anno
1769, 21 aug. non procul a portu Gryphisualdenſi
Xiphias captus eſt; longus pedes $8\frac{3}{4}$; amplus, vbi
craſſiſſimus erat, pedes 3, radios in membrana bran-
chioſtega et in pinnis dorſi, eodem numero habe-
bat, ac ante deſcriptus. In pinna abdominis 16;
in maiore pinna ani 11, in minore 3. Viui anima-
lis, vt piſcatores referebant, corpus totum colore
argenteo coeruleo ſplenduit; ſed is color poſt mor-
tem obſcurior factus. In ſulco dorſali 18 fora-
mina oblonga, pinguedinem ſudantia, in pinna ma-
iore dorſi, multa eiusmodi foramina, alterna, an-
tiis minimis. Animus erat Noſtro, piſcem emere,
et cultro anatomico ſubiicere. Sed piſcator in par-
tes ſecuit, inteſtina terrae commiſit, credens oleo
excocto plus ſe lucraturum, quam ſi integrum
venderet. Qua in re errauit: non enim integram
libram (*Mark*) olei obtinuit. Subiicit Noſter figu-
ras, ad aliud animal pertinentes, de quo ipſi Cl.
PALLAS retulit, captum eſſe ad Caput bonae ſpei.
Iam in collectione principis Arauſionenſis adſer- p. 117.
vatur; figuras communicauit gazophylacii illiùs
inſpector, Cl. VOSMAER, curante Cl. SANDI-
FORT. Habet illud Noſter pro eo, quod MARC-
GRAVIVS appellat *Guebueu*, ad genus *Xiphiae* per-
tinens; ſed alius ſpeciei, quam eſt vulgaris. De-
pingitur hic gladius, ſubulatus, item par corpo-
rum, vt videtur ex capite prominentium, nec non
pinna dorſi.

3) *Fluoris ſpatoſi*, ſ. *fluoris mineralis* WALL.*) p. 170.
acidi examen chymicum exhibet CAR. GVIL.
SCHEELE. Vſus eſt viridi Garpenbergenſi, albo,
a loco: *Gisliöf* in Scania. Cum hic lapis, calefa-
ctus

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 452.

ctus phoſphoreſcat; illam vero proprietatem perdat, poſtquam totus canduit: primo examinauit Noſter, num animaduerti poſſit, illum, dum candet, partes quasdam perdere. Itaque in crucibulo tecto igni expoſuit. Ponderis nihil, quod notari poſſet, imminutum eſt, et vſtus lapis in omnibus ſimilis viſus eſt non vſto, niſi, quod iam, cum rurſus caleſieret, non luceret, facilius in puluerem redigeretur, quam ante; albus, opacus fieret, viridis ru-
p. 121. beſceret. Fluorem, qui canduerat, cum puluere carbonum ſtratis alternis mixtum, in crucibulo tecto igni duarum horarum expoſuit, deinde refrigerari paſſus eſt, poſt calefecit. Non luxit lapis. Vſtum lapidem tota die luci ſolari expoſuit; ſed tamen calefactus non luxit. Igitur qualitas phoſphori non videtur naſci a ſubtili aliquo phlogiſto.
p. 122. Fluorem in puluerem redactum, cum oleo vitrioli retortae indidit, recipienti aquam infundit. Cum maſſa in retorta incaleſceret et ſe expanderet, vapor ortus eſt, qui in ſuperficie aquae, quam recipiens continebat, requieſcens maculam rotundam albam, ori retortae ſubiectam effecit, ea crevit, vt omnem aquae ſuperficiem tegeret, tandemque cruſta ſatis ſpiſſa obduceret. Concuſſo leniter recipiente, diffracta ad fundum cecidit, et noua orta eſt. Sub finem, primo recipientis, deinde retortae ſuperficies internae, albae redditae ſunt. Apertis vaſis, ſuperficies internae, velut arroſae, apparuerunt. Liquor in recipiente, mixtura erat aquae et acidi, quod oleum vitrioli ex fluore ſpatoſo ſeparauerat. Maſſa in retorta reſidua, in puluerem redacta, edulcorata, ſelenitem praebuit et aliquid aluminis. Ex his et aliis experimentis, quae enarrare longum eſſet, colligit Noſter, fluorem ſpa-
p. 123. toſum conſtare, inprimis ex terra calcarea, et pe-
p. 131. culiari acido, quod quibusdam rebus ad acidum

ſalis

salis accedat, aliis, ad acidum tartari; sed in multis etiam peculiarem sibi naturam habeat. Materiam fluori spatoso similem ex partibus constitutiuis, quas diximus, reproduxit, vt syntheſis analyſin confirmaret. Albam vero illam crustam, quae aquam obduxerat, terram siliceam esse ostendit, et multus est, vt probet, nasci hanc terram, cum acidum fluoris spatosi vaporibus aqueis vnitur. Habitum vero, tum fluoris spatosi, tum acidi eius, ad acida, alcalia, salia media, sulphur, arsenicum, metalla, terras absorbentes, multis experimentis examinat, ex quibus, de acido suo, inter alia haec colligit: Soluere illud terram siliceam; sed relinquere eam, cum acidum vnitur alii corpori, alcali cuidam, terrae absorbenti, metallo: vix purum haberi; sed semper terra silicea admixta, quae, addito alcali volatili, separetur. Acidum hoc, si cum alcali volatili in sal ammoniacum abierit, optime aliis corporibus vniri. p. 124. p. 126. p. 137. p. 138.

4) *Cl.* KLINGENSTIERNA *contra Cl.* D'ALEMBERT tuetur FRIDERICVS MALLET, Astron. Obs. reg. Vpsal. Quaestio est de experimento, quo NEWTONVS vsus erat, radiorum, per tria diuersa media ita transeuntium, vt exeuntes ex secundo in tertium paralleli sint incidentes ex primo in secundum; simulque radii colorati, prima refractione separati, secunda rursus colligantur. p. 138.

5) *Piscem vulgari nomine* Rua *appellatum*, depictum sistit PETRVS OSBECK, Pastor Hasslöiensis. Vltimis demum annis in amne ibi fluente capitur. Noster eum habet pro *Cyprino erythrophthalmo*. Pinnarum radios numerat. Conferri posse ait cum Cyprino clauato GESN. *de pisc. lacustrib.* T. II. p. 345; sed ibi pinnam ani, nec loco suo positam esse, nec debitam figuram habere. p. 152.

6) *De*

p. 153. 6) *De morbo ſpasmodico conuulſiuo*, iterum agit
p. 154. Cl. WÅHLIN (vid. *Trim.* I. *n.* 2.) *). Iam curandi methodum explicat. Nauſeam et defectum appetitus, quibuscum morbus ſaepius orditur, pro indicio habet, morbum primo in inteſtinis habitare, poſt humores ingredi; Igitur primo morbi ſtadio euacuantibus inprimis emeticis, tum, quod breui-
p. 155. ſima via aliquid mali eiiciant, tum ſuccutiendo partes neruoſas venenum illis adhaerens remoueant, vtendum eſt. Venaeſectionem nihil indicat, cum non appareat, maſſam ſanguinis ſedem veneni eſſe. Igitur non adhibenda eſt, niſi ſanguine vehementer calente,
p. 156. aut mania celerius accedente. Contra, purgatis inteſtinis, diaphoretica, in primo ſtadio, morbo tollendo ſufficiunt; in ſecundo, frequentius repetita maximam curationis partem abſoluere videntur. Emetica lenia, inprimis ex ipecacuanha, etiam tranſpirationem adiuuant: illa igitur in ſecundo ſtadio praebet, paullo poſt paroxyſmum: nam durante paroxyſmo, illa ſumere ſpaſmi oris et oeſophagi
p. 158. ſaepius impediunt. Illa ſequitur diaphoreticum praeparatum ex cornu cerui, vel ante paroxyſmum ſequentem, vel paullo poſt illum, ſi citius ingruat. His remediis ſpaſmi interdum obſtant. Igitur auxilium remedii fertur, balneis vaporoſis emollientibus. Alicubi his balneis formicas adhibent, item flores chamomillae cet. vrticas in cereuiſia, aut aceto coctas. Vngunt ſe etiam ſpiritu cornu cerui, ſed Noſter durante morbo, hoc improbat, vt tranſpira-
p. 159. tionem impediens. Si repetitis ſimul emeticis, cutis balneo vaporoſo emolliatur, tranſpiratio diaphoreticis promoueatur, promitti poſſe felicem exitum, inprimis ſi morbus non nimium in ſtadio progreſſus ſit. Quodſi animaduertatur, inflammationem a veneno natam eſſe, aut naſcituram, aut mentis perturbationem adeſſe, inter paroxyſmos adhibentur

*) v. ſupra p. 266.

adhibentur pulueres nitroſi cum abſorbentibus, et potus diluentes. Opii effectus animaduertit Noſter morbi circumſtantiis oppoſitos, v. c. quod opium ſanguinis circulationem acceleret, in morbo pulſus lentus ſit cet. Igitur illo etiam vti decreuit. Praemiſſis vomitoriis et laxantibus, maſſam pilularum STARKEYI, nitro, camphorae et ſali ſuccini miſcuit: ita facilem et copioſum ſudorem obtinuit, paroxyſmi vero, ſumto remedio, mane et veſpere ceſſarunt. Sed cum carius eſſet hoc remedium, guttas 8—10 laudani liquidi SYDENHAMI, guttis 50 liquoris cornu cerui ſuccinati miſcuit cum infuſo ſambuci. Multis praebuit ſpiritum cornu cerui ſuccinatum, vel oleum animale DIPPELII, aut oleum foetidum cornu cerui et opiatum ſub initium noctis. Magno vſui fuerunt foetida omnia, vt plurimum antiſpasmodica, inprimis hyſtericis. Moſcho non multum vti potuit, ob nimium pretium. Plantis reſoluentibus et expellentibus infudit vinum aut ſpiritum frumenti, qui cum optime partes reſinoſas extraheret, eius autem acrimonia a remediis, quibus addebatur, mitigaretur; non metuit eum menſtrui loco adhibere. Materia peccante ad cutem deducta, vt vel cum ſudore efflueret, vel in exanthemata erumperet, maximum periculum ſtadii tertii ſuperatum eſt. Reſtat, debilitas et laxitas partium ſolidarum amaris et corroborantibus tollenda. Cortici Peruuiano, nihil ſpecifici contra hunc morbum tribuit, prae aliis amaris. Sanatus aeger cauere ſibi debet ab exceſſu committendo in vſu ſpirituoſorum, acidorum, cibis omnibus, inprimis pinguedinis, a frigore, et nimio labore. Quae ſi obſeruet, nihil amplius a morbo patitur; ſed, qui forte non ſatis mature conſuli ſibi paſſi ſunt, ſuperato etiam morbo, eius reliquias ſentiunt. Quo pertinent contracturae chronicae,

p. 160.

p. 161.

p. 162.

p. 164.

nicae,

nicae, quibus medentur balnea emollientia et vnguenta. Inprimis profuit ſtercus vaccinum calidum cataplaſmatis modo adhibitum, iteratis vicibus, aut, ſi tempeſtas id permittat, membrum
p. 165. aegrum per aliquot horas ſimo immittatur. Contra maniam et furorem adhibentur ſanguinis miſſio, veſicatoria, fomentationes. Profuit alibi caput aqua tepida lauare, vt exanthemata prolicerentur. Noſtro id non ſatis ſucceſſit; ſed paucos habuit maniacos, cum morbo mature occurreretur. Optimum effectum edidit extractum hellebori nigri ab vno aut duobus ſcrupulis vſque ad drachmam, ſemel aut bis ſeptimana quauis datum. Contra epilepſiam chronicam, multa celebria remedia tentauit, non magno ſucceſſu. Paullulum prodeſſe viſum eſt extractum daturae et hyoſcyami; ſed cum iis, qui illo vterentur, caput debilitaretur et perturbaretur, non auſus eſt Noſter hoc remedium
p. 166. continuare. Optime profuerunt veſicatoria, fonticuli, reuellentia et euacuantia, vt calomel, oleum animale DIPPELII. Aliis morbi reliquiis tollendis acidulae profuerunt. Anno 1765, in eodem loco cum morbo ſpasmodico ſimul graſſata eſt dyſenteria; ſed pauciſſimos vterque morbus ſimul adgreſſus eſt. Quibus id contigit, iis profuere ipe-
p. 167. cacuanha, rhabarbarum, opiata, ſudorifera. Cum dolores ceſſarent, et fluxus ſanguinis, malua in infuſo adhibita eſt. Alios morbos epidemicos ſimul cum ſpasmodico graſſari non vidit. Adhuc epidemias omnes ſollicite obſeruat, an forte illarum aliqua cum morbo ſpasmodico quidquam commune habeat, et durum huius venenum perpetuo inter homines verſetur.

p. 167. 7) *Vſum balnei frigidi*, exemplo oſtendit ANDR. SCHÖNBERG, Hiſtoriographus. Cum iuvenis quidam

quidam optima valetudine eſſet vſus, ſtudiis operam dans, in febrim incideret, quam vetula depulit; ſed a reliquiis morbi, plurima deinde mala paſſus eſt, fruſtra tentatis omnis fere generis remediis, idque ſpatio 12 circiter annorum, vt tandem morti vicinus videretur. Tunc legit BERGII ſermonem, in Acad. reg. Sc. habitum, de vſu balneorum frigidorum. Itaque, cum tandem ſuſpicio eſſet orta, a materia febrili ſtagnante ſyſtema neruoſum eſſe corruptum, balneo illo vti decreuit, ſub autumni 1769 initium: fluuii loca, vbi prope litus aqua paullo velocius flueret, intrauit, illam corpus inundare paſſus eſt. Hinc cum ſtatim ſentiret mala ſua imminui, balneo frigido vſus eſt tota hieme, in vaſe intra conclaue poſito, ita, vt primum tepidam adhiberet, deinde fere ad conglaciationem frigidam. Exiguo autem tempore in hac frigida commoratus eſt, ne corpus totum frigeſceret. Hoc remedio ſolo adhibito per aliquot menſes, nullo alio, priſtinae ſanitati omnino reſtitutus eſt, ſub initium 1770. Id remedium deinde aliis ſuaſit, et plurimi eo in loco, vtilitatem eius experti ſunt; omnes autem mares: nihil fere profuit feminis, quae illud aduerſus paſſiones hyſtericas tentarent. p. 169. p. 170.

8) *Remedium aduerſus vſtilaginem tritici* edit PET. WAESTRÖN. Ipſe id a ruſtico vicino didicit. Tritici grana, ſementi autumni proximi deſtinata, ſub initium veris, aut prius, ſi libet, in granario reponuntur, in cumulum circiter duas manus transuerſas altum. Quam primum ſuccus in abietes intrare iudicatur, rami abietum circiter quartae partis vlnae longitudine reſecantur, et cumulo illi inſeruntur, ſatis confertim. Ita grana cum ramis inſertis, per aeſtatem quieſcunt, autumni initio, remotis ramis, grana feruntur. Expe- p. 171. p. 172.

rimentum eo in loco captum eſt, in quo olim non, niſi vſtilagine plenum triticum, habebatur: iam per quindecim annos, ne ariſta quidem ſpectatur vſtilagine turpata. Quodſi forte malum a vicini agris, qui hoc remedio non vtitur, denuo ingruat, facile eſt, repetita operatione id rurſus tollere.

Trimeſtre tertium.

p. 175. 1) NIC. MARELIVS deſcriptionem continuat tractus territorii eminentioris, item Alpium, quos tractus fere fines Sueciae et Noruegiae ſequuntur.

p. 193. 2) *Structuram*, *frumento ſiccando aptam* deſcribit PET. WASSTRÖM, Camerarius. Commode additur fornacibus, vbi ferrum liquatur. Calorem praebent ſcoriae, ex his fornacibus extractae, vt, non, niſi aedificii conſtruendi impenſae, in computum veniant, et illae exiguae, lignum ſiccando frumento nullum comburatur: qua re, et ipſo ſiccandi effectu plurimum haec methodus praeſtat illi, quae in Suecia vulgo adhibetur.

p. 199. 3) *Tumorem immanem ouarii ſiniſtri* deſcribit ROLAND MARTIN, M. D. Anat. et Chir. Prof. et Adſeſſ. Coll. med. Puellae ruſticae, vegetis parentibus natae, ipſi ad annum aetatis vigeſimum ſecundum bene valenti, circa tempus paſchatis 1768, venter tumere incipiebat, creſcente tumore a partibus inferioribus verſus ſuperiora, vt in grauidis. Cibos autem nec ante, quam tumor ſe oſtenderet, nec poſt auerſabatur. Noſter ad eam vocatus, iunio 1769, ita tumentem ventrem reperit, vt ſub
p. 200. finem grauiditatis contingere ſolet. Examinans illum, durum reperit, ac ſi ab vtero grauido expanderetur, itaque, quod optabat aegra, paracenteſi aquam emittere noluit. Retulerunt vero et ipſa, et

et mater eius, rem fuisse aegrae 1767 cum rustico, qui, vt ipsi morem gereret, promiserat, curaturum se esse, ne grauida fieret. Interim MARTINVS non credidit, grauidam esse, cum, post illa, quae cum rustico gesta erant, vsque ad tempus paschatis proxime elapsi, menstrua sua habuerat, alia, quae grauidis contingere solent, passa non erat, tempore, quo parere debuisset, dolores nullos senserat, neque obstetrix orificium vteri reperirat, quale est grauidae. Nec hydropem agnoscebat Noster, ob tumorem a partibus inferioribus versus superiora crescentem, duritiem eius, et incrementum velocius, quam esse solet tumoris hydropici, respirationem non impeditam, somnum quietum, pedes non tumentes, vrinam libere fluentem. Interim, stanti aegrae, aqua guttatim ex pudendis destillabat, in lecto decumbens lintea madefaciebat. Aquam igitur Noster in abdomine esse iudicabat; sed ei subesse aliquid tumoris duri, siue fetum, vterum expandentem, siue scirrhum, aut molam. Itaque auxilium ferre non ausus est. p. 201.

Circiter mense elapso, d. 23 iulii, mortua esse nunciabatur, et familia ipsa defunctae, vt cadauer aperiretur, optauit. Die 22 vocabatur ad aegram obstetrix, vt iudicaret, an dolores, quos sentiebat, essent ad partum? Vix autem attingere poterat orificium vteri, illudque omnino clausum reperit. Igitur, hic nihil se praestare posse, professa est. Aegra vomebat, inquietudine angebatur et siti. Nec iacere amplius poterat; sed libentius genubus innitebatur. Dormire non poterat, vomitus circa noctis initium erant vehementiores, ita die 23 continuabant, vna cum siti grauissima, etsi saepius biberet. Increscebat nausea, sed vomere non poterat: igitur saepius ad proliciendum vomitum digitum oesophago inserebat. Rumores veluti p. 202. p. 203

in ventriculo ſentiebat, et haec mala omnia tota die creſcebant, donec ſub veſperam paullo quietior, ſpiritum emitteret.

p. 205. Sectio ſequentia oſtendit: Menſurabatur circumferentia abdominis tumentis, quartarum vnae partium circiter decem cum quartae ſemiſſe, quae ipſa longitudo erat feminae. Primo abdomen perforatum eſt acu triquetra, aqua magno flumine erumpente: igitur aperturae plures factae, et ingens copia effluxit aquae, non foetentis, ſatis purae, aliquantum vero viſcidae gelatinoſae. Iam ſcalpellum adhibitum conſueto more ad ductum lineae albae, vbi rurſus plurimum aquae aut effluxit, aut
p. 206. hauſtum eſt. Integumentis et muſculis diſſectis intra peritonaeum apparuit aliquid expanſi rotundi ſacciformis, quod Noſter primum ſuſpicatus eſt vterum eſſe; ſed cum id tolleret, poſt et infra illud, vterum in pelui minore vidit, qualis virgineus eſt. Saccus vero ille pluribus in locis peritonaeo adhaerebat, vt dubitari poſſet, an ſua eſſet ſacco membrana exterior, an a peritonaeo? Illa autem exterior membrana, cum ſepararetur a peritonaeo, noua copia aquae ex pluribus apertis cauis et veſiculis promanabat, qua remota noui tumores apparebant, caput infantis magnitudine aequantes, iuxta ſe poſiti, aut vno intra alterum incluſo, quibus diſſectis rurſus aqua effluebat. Haec aqua hic admixta erat pinguedini alicui ad adipem accedenti, et muco pellucido gelatinoſo, nec non materiae non cohaerenti, melli ſimili, ex fiſſuris membranarum prorumpenti, cartilaginibus durioribus, et particu-
p. 280. lis, oſſeis. Peritonaeo nihil cum hoc tumore commune, niſi quod ipſi pluribus in locis contiguum eſſet. Viſcera abdominis omnia ſana; nec illis aliquis nexus erat cum hoc tumore, licet inteſtina tenuia ab eo multum ex ſuo loco eſſent dimota. Li-

bera

bera etiam a tumore, vterus, ouarium dextrum cum fimbriis. Siniſtrum autem ouarium nullibi reperiebatur, tubae ſiniſtrae veſtigium ad vterum; extremitas vero eius abdominalis, vnita ſubſtantiae tumoris. Vnde etiam vterus ad illud latus vellut inclinabatur. Igitur, vnde tumor ortus ſit nullum dubium ſupererat; etſi cauſſae euentus nihil doceret aut ſectio, aut quae de vita defunctae reſciri poterint. Explicare igitur morbum Noſter p. 208.
non audet; quaedam tamen quaerit, vt: Quem effectum in partibus internis conceptionis habere poſſit coitus fruſtraneus, cum omni voluptate feminae coniunctus? Annon inde oriri poſſit affluxus lymphaticus, copioſior, quam vt omnis rurſus reſorbeatur, et in maſſam humorum rurſus diuidatur? oritura ſic collectione circa partes generationis internas. Annon ſic inprimis naſci poſſit tumor vegetans circa tubas fallopianas et ouaria, quae in coitu mouentur? Haec autem vegetatio, nonne poſſit inſigniter augeri, cum non vtero coerceatur vt fetus, ſed terminos nullos agnoſcat, praeter abdomen; humores autem copioſiſſime adfluxuri ſint, p. 209.
ad eiusmodi veſiculam ouarii intempeſtiue relaxatam, inprimis cum et plures eiusmodi veſiculae concreſcere queant? Si vero initium talis incrementi, fiat ab aliis cauſſis morbificis, nonne, quae in coitu fruſtraneo contingunt, ad augendum illud aliquid conferre poſſint? Haec quaeſtionum forma proponere voluit, cum certi nihil ſtatui poſſe exiſtimet. Iam ouariorum magnorum exempla recen- p. 211.
ſet, quorum nullum accedit ad id, quod deſcripſit, et in ſpiritu vini ſeruat.

4) *Lateres tectis operiendis idoneos* parare do- p. 211.
cet TORB. BERGMANN examinata argillae, illis adhibendae, natura et mixtione.

p. 220. 5) *Parallaxin ſolis, ex tranſitu Veneris* 1769 computat AND. IO. LEXELL, Aſtron. Prof. et Acad. Imp. Petrop. Sodalis.

p. 234. 6) *Scorias, quae obtinentur, dum cuprum ex minera eliquatur muris conſtruendis* adhibere docet CAR. HALLDIN, Vicenotarius Collegii reg. metallici. Extus loricam velut muro conſtruit ex lateribus, intus murum ex ſcoriis et calce aedificat.
p. 236. *Fahluni* aedes tales conſtruuntur, qua re multum ſumtibus parcitur.

p. 240. 7) *Diſſertationi praecedenti quaedam addit* SAM. SANDEL. Impenſas eiusmodi aedificiorum, variis modis conſtructorum, computat, et, qua re alius modus alii praeſtat, examinat.

p. 247. 8) *Quomodo in Norrlandia capiantur Pleuronectes Plateſſa* et *P. Fleſus* LINN. enarrat NIC. OHMFRIIS. Praeter piſcaturam et modum, quo fiat piſcis, alia notatu digna occurrunt, vt: *Delphinum Delphin* LINN. magnis ſuis dentibus, adgredi tum piſces, quas diximus, tum balaenas, et fruſta ex carnibus illorum exſcindere. *Vultur Albicilla* LINN. dum piſces maiores adgreditur, et vngues illorum dorſo infixit, ſaepius ſuffocatur ab iis, fundum petentibus, fruſtra alas expandens et miſere clamitans.
p. 253.
p. 249.

p. 255. 9) *Singularem modum, mineras Forsdalienſes in Noruegia torrendi* deſcribit Bar. SAM. GVST. HERMELIN. Efficitur, vt in nucleum quendam coeat cuprum, cruſta circumdatum, quae ex ferro calcinato conſtat, et abiicitur: nucleus igitur cupro diues liquatur. Id vero non ſuccedet, niſi minera ſit, illi, de qua ſermo eſt, ſimilis, pyrites denſus, nihil lapidis admixtum habens; ferrum autem, cuprum, ſulphur, certa proportione mixta.

10) *De*

10) *De vermibus Gordiis in piſcibus et hominibus* p. 261.
agit ANT. ROLANDSON MARTIN. Frequentes ſunt in pluribus piſcibus Noruegiae, vt: *Gado virente, Labro ſuillo, Salmone farione et S. eperlano* LINN. Ex vltimo, qui illo veſci volunt, veſicam aeream eximunt, morbos, ſi comedatur, productum. Ad quod Noſter tum demum attendit, cum poſt eſum talium piſcium male ſe habere ſenſit. Igitur veſicam aeream examinauit, et plenam repe- p. 262.
rit vermium. Corpus cylindricum eſt, vtrinque acuminatum, ex vno extremo tenuiore, ſi illi quidpiam calidi offeratur, vermis aliquid aculeo ſimile protrudit. Corpus varie incuruant, qua re facile ab aſcaridibus diſtinguuntur. Extremum tenuius os videtur. Veſicam aeream adultiores per- p. 263.
forant et vbique in piſce habitant; inprimis tamen in lacte piſcis, et inteſtinis, vt chylo viuere videantur. Ipſe Auctor illorum, quos in corpore ſuo nutriebat, motum maxime ſenſit poſt eſum lactis. Vermes hi in omnibus ſimiles ſunt *Gordio Argillaceo* LINN. niſi colore, etſi etiam albo, paullulum diverſi. Eos forte multi homines nutriunt, qui cre- p. 264.
dunt, ſe ab aſcaridibus habitari. Vermes hos incolere corpus hominis alicuius certiſſima ſigna ſunt pruritus narium, vomitus et eiectio muci, inprimis poſtquam quis e ſomno euigilat. Accedunt alia: adfluxus ſaliuae inexſpectatus, vomitus, dolores in vicinia hepatis et lienis, rubor genarum, anxietas, animus deiectus, meticuloſus, nulla cognita cauſſa, corporis velut pondere grauati ſenſus, brachiorum ad onus modicum tollendum debilitas, abdomen expanſum, etiam poſt eiecta excrementa, dolor in hypochondriis. Cum eſu piſcium, quibus p. 165.
inteſtina non exemta ſunt, deglutiri hos vermes, aut ſeminium illorum, probabile Noſtro videtur. Viui ex aqua ſumti et vitro ſicco impoſiti, rigidi vi-

dentur. Si vero vel horam iacuerint, aquae inie-
ɛti, rurſus velociter ſe agitant. Cum aqua calori
p. 266. ſolis expoſiti, quamdiu madent, viuunt; ſed aliquot horas ſiccati, mortui reperiuntur. Viuaces ſunt in aqua dulci, aliquantum viuaciores in ea, quae parum ſalſa eſt; ſed magis ſalſam non tolerant. Haec forte cauſſa eſt, cur piſces ad littora capti, pleni his vermibus reperiantur, qui in alto mari capiuntur, liberi. Iniecit vermes ſolutionibus ſalis, ſaccharī, pulueris trochiſcorum Alhandal. In ſaccharo horas 24 vixerunt, breuius in ſale, 30 horas in liquore amaro, etſi debiles. Vrina calida addita, rurſus viuaces redditi. Horas 24 vixerunt in pulvere corticis Peruuiani, et forte diutius vixiſſent. Sub finem huius temporis languebant, extenſo corpore, inepti nodis nectendis, quos ſatis viuaciter in ſaccharo et ſale formabant. Quindecim horas durarunt in ſolutione ſalis Anglicani cathartici. Iam immiſit liquoribus, qui condimenti loco cum piſci-
p. 267. bus ſolent adhiberi. Minimum durarunt in butyro liquato; quod igitur praeſeruatiuum optimum contra illos videtur: ad illud proxime accedit ſinapi cum aceto. In aceto ſolo 16 horas vixerunt. Indidit etiam aliis medicamentis. In puluere contra vermes, plus 12 horis vixerunt. Diſſecuit, ſed ſeg-
p. 268. menta non habent naturam polyporum. Ex proprio corpore illos expulit eſſentia lignorum, eſſent. zedoariae, inprimis eſſ. ſcillae Würtenb. rad. glycyrrhizae. Gordium maiorem expulit d. 28 auguſti, cum inde a medio maii piſcis nihil omninō co-
p. 269. mediſſet. Porro deiecit vermes, poſt ſumtum extractum trifolii fibrini; et puluerem contra vermes. Poſt vſum *Spigeliae Anthelminticae* ſenſit, quae contingere ſolent, dum vermes expelluntur: conatus vomendi, formicationem oculorum, dolores alios; ſed ipſos vermes deiectos ſpectare caſus eum impe-
diuit.

dinit. Itaque hoc medicamentum prodeſſe exiſtimat. Maxime vero laudat opiata. Drachmam theriac. Ven. octo horis ſub planta pedis tenuit; poſtridie Gordios deiecit. Praefert reliquis ROSENSTEINII pilulas antiſpasmodicas.

Trimeſtre quartum.

1) *Schiſtus, qui ad tecta adhibetur, quomodo efſodiatur et praeparetur* deſcribit SAMVEL. GVST. HERMELIN. Tantum non omnia ex deſcriptione artium Acad. Reg. Sc. Gallicae: *deſcription de l'Ardoiſe*, quam in ciuium ſuorum vſum contraxiſſe ſe profitetur. p. 271.

2) *Hiſtoriam combinationum mercurii cum acido ſalis continuat* TORB. BERGMANN *). Iam de praecipitato albo agit: varios illud praeparandi modos, et quae ceterum auctores de eo ſcripſerunt, recenſet, et diiudicat, obſeruans, cum pro diuerſis parandi modis, res non omnino eaedem hoc nomine inſigniantur, ſcire id debere medicum, illud praeſcribentem. p. 294.

3) *Parallaxin ſolis ex obſeruationibus in inſula R. Georgii inſtitutis* computat ANDR. IO. LEXELL. p. 301.

4) *Orchidem Morionem in omnibus aequipollere Salep Perſico* docet GABRIEL LVND, M. D. Experimenta eius huc redeunt, quod aegris, eodem morbo laborantibus praebuit, alii Salep, alii orchidem, effectu omnino eodem **). Id expertus eſt in atrophia a ſanguifluxu, colica bilioſa (morbos nominibus, quibus SAUVAGES vtitur, appellat.), nephralgia calculoſa, colica grauidarum, dyſuria primaria. In hoc morbo, Salep aut Morio, non p. 310. p. 317.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 395.
**) conf. ib. p. 97.

debilitant ventriculum, quod facit gummi Arabicum, notante DANIELE (*Beyträge zur medicinischen Gelehrſamkeit* T. III.). Ecclampſiae a ſaburra, infantibus contingenti cum nutrices poſt vehementes animi motus eos lactant, vtiliter adhibuit, Salep aut Orchidem. Deiectioni virium poſt graues morbos, vtrumque aeque medetur. Denique pharmacopola in prouincia aliqua Sueciae, cum Salep non haberet, Orchidem vendidit, omnino eadem praeſtantem. Praeparatione Orchidis vſus eſt, quam docuit RETZIVS *), qui ſuaſit, vt exotici loco adhibeatur orchis, frequens in Suecia, quod conſilium LVND confirmat.

p. 318.

p. 319. 5) *De Salep orientali et Suecico* agit P. ION. BERGIVS, multa ex ſcriptoribus operoſe colligens.

p. 327. Vſum Salep Suecici memorat, quod tritus cum medicamentis reſinoſis, illa egregie inuoluat, eaque re praeſtet amygdalis, illi ſcopo adhiberi ſolitis: id quod dum reſinam ialappae adhibuit, expertus eſt.

p. 333. 6) *De viribus, quibus conſeruatur mundus ſpectabilis* agit DAN. MELANDER, Aſtron. Prof. Vpſal. Solem ait luce emiſſa perpetuo minui, niſi quatenus cometae aliquid illi reddunt. Igitur planetas minori vi attractum iri ad ſolem, cuius maſſa minuitur, et receſſuros eſſe a ſole. Id impedire reſiſtentiam aetheris, qua planetarum velocitas tangentialis imminuitur, ſicque, ob hanc reſiſtentiam, vniverſum cum ſole imminuto diutius durare, quam ſine illa poſſet. Deinde de cometarum vi ad motus planetarum perturbandos agit. Quae quomodo computanda ſint, methodum obiter indicat.

p. 346. 7) *Inſtrumentum obiectis ad leges perſpectivae delineandis* deſcribit IO. ZACH. STEINHOLZ, inſtrumentor.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 209.

ſtrumentor. mathemat. artifex. Eſt ex eorum genere, quae, vbi figuris deſcribendis adhibentur, *pantographa* appellantur, additis partibus, quae illud vſui, quem diximus, aptent.

8) *Obſeruationes cometae aprili et maio* 1771. p. 353.
Holmiae *inſtitutas* edit PETR. WARGENTIN.

9) *Ex illis, orbitam cometae et motus conditiones* p. 357.
computat ERIC. PROSPERIN, Adi. Math. et Phyſ.
in Acad. Vpſal. Nunquam antea hunc cometam p. 359.
aſtronomi obſeruarunt, eſt igitur eorum, quorum
iam definitae habentur orbitae, quinquageſimus no-
nus. Dum apparuit, diſtantia eius fuit circiter ſeſ- p. 350.
quialtera diſtantiae mediae telluris a ſole. Ex ſitu
orbitae cometae ad orbitam telluris colligitur, di-
ſtantiam eius, cum minima eſt a tellure, quae eſſe
poteſt, ſcilicet diſtantiam minimam inter duo pun-
cta, quorum vnum eſt in cometae orbita, alterum
in telluris orbita, eſſe circiter eam, quam habet a
tellure Venus per ſolem tranſiens. Multo magis
ab orbita terrae diſtant cometae nodi. Igitur ab
hoc cometa, nihil vnquam metuendum terrae.

XI.

ERNESTI IEREMIAE NEIFELDII, Medic. Doct. Sereniſſ. Reg. Poloniar. conſiliar. aulic. et Acad. Caeſar. Leopold. Carolin. natur. curioſ. Soc. ratio medendi morbis circuli ſanguinei monumentis praeſtantiſſimorum medicorum tum veterum, tum vel maxime recentiorum ſuperſtructa. Vratislauiae, impenſis Io. Frider. Kornii ſen. 1773. 8. mai. pagg. 460, praeter dedicationem, praefationem,

tionem, conſpectum generalem et indicem rerum.

Secutus eſt Noſter, cuius fata, in praefatione narrata, magnopere dolemus, in opere hoc profecto perutili texendo, quod maxima cum voluptate legimus, b. LVDWIG, diſpeſcuitque morbos cum eo in generales et particulares, nominis porro morbi cuiuslibet rationem inueſtigauit eiusque addidit hiſtoriam, quippe quae tam ad cognoſcendum, quam curandum maxime cernitur vtilis. Rurſus cauſſas, ſymptomata et ſigna tam communia, quam pathognomonica diligenter collegit, nec non aliorum auctoritate et exemplo confirmavit et denique methodum medendi curauit atque optima quaeque auxilia, longo vſu comprobata et ab aliis peritis medicis propoſita, addidit eaque compoſita in formulis tradidit. Praeterea dicit de variis medici practici officiis eorumque quaedam recenſet, ad reliqua intelligenda ſuadet inter alios hac de re ſcriptores methodum doctrinae medicae vniuerſae b. LVDWIG. *)

p. 3. Offert hic Cl. Auctor morbos vniuerſales circuli ſanguinei et pollicetur, ſe in poſterum morbos ſeroſi atque neruoſi laticis, quos auide exſpectamus, pariter eſſe vulgaturum, niſi mors Auctoris, vti dicitur, ſpem noſtram vanam reddat. Conſiderantur itaque hic febres in genere et ſpecie, inflammationes atque haemorrhagiae. Atque ita eos morbos circuli ſanguinei inprimis tractat Noſter, qui ex motu ipſius, laeſo per vaſa corporis naſcuntur et ideo vniuerſam machinam laedunt. Sanguis autem vel nimis vehementer, vel etiam nimis tarde mouetur, vel denique per vaſa rupta aut dilatata effunditur.

Eſt

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 611.

Eſt febris proportio laeſa inter vires vitales et ani- p. 8.
males, ſiue vis cordis et arteriarum maior, quam quae, reſpectu virium voluntati ſubditarum, eſſe deberet. Omne id, quod minima vaſcula obſtruit atque ideo circulum in iis impedit, vel quod acredine ſua fibrillas cordis atque vaſorum irritat et conſtringit, cauſſam febris conſtituere poteſt. Sanguinis inde circulantis interruptio vel mora in minimis vaſculis proxima omnium febrium exiſtit cauſſa.

Ex iis, quae hactenus de natura, cauſſis et p. 13.
exitu febrium a Noſtro ſunt diſputata, elucet, verum febrium medelam his potiſſimum abſolui indicationibus. Ac primum quidem, vt vitae et viribus, cibo et potu, genio febris et temperamento aegroti bene accommodato conſulatur: dein vt motus febriles, quorum auxilio, cauſſa morbi eſt ſuperanda, ita moderentur, vt nec multum excedant, nec torpeant: rurſus, vt acre irritans corrigatur, demulceatur, expellatur; lentor vero obſtruens ſoluatur, attenuetur, exterminetur. Ita viae ſanguineae ratione habita, ſeu eruditatibus primarum viarum curatis, acre irritans pro varia ſua indole humectantibus internis et externis, diluentibus atque demulcentibus, inprimis putredini reſiſtentibus corrigi et ad eliminandum adaptari debet. Hic ſuadet infuſa herbarum calida, decocta auenacea, hordeacea, nitro et acidis vegetabilibus et mineralibus mixta, ſerum lactis acidulum, hydrogala et alia, parua doſi ſaepe ingeſta. Viſcidum, inhaerens vaſis capillaribus, impetu febrili iuſto et remediis diluentibus atque reſoluentibus, potu aquoſo e. gr. diluente leniter ſalino et aromatico, balneo, fotu, clyſmate optime ſoluitur. In nimio elatere fibrarum ſi detegitur cauſſa obſtructionis febrilis, emollientia cum diluentibus et reſoluentibus remediis, in ſpaſtica vaſculorum minimorum contractione

ctione opiata caute adhibita conducunt. Symptomata febrilia adeo moleſta, vt nec viribus, nec patientia aegri ferri poſſint, lenienda et amouenda interdum ſunt. Quibus auxiliis hoc fiat, in ſpecialiori febrium tractatione a Noſtro indicabitur.

p. 18. Proxima cauſſa febrium intermittentium cernitur in ſanguinis, forte et liquidi neruei lentore, quippe qui liberum et expeditum circulatorium motum per vaſa minima impedit. Cauſſam remotam praediſponentem febrium intermittentium potiſſimum in colluuie viſcida et tenaci, ſaepe acida et bilioſa, in primis viis haerente, chylumque et ſanguinem inquinante, quaerendam eſſe crebro Noſter expertus eſt.

p. 29. Hic Noſter de ſymptomatum febrilium mitigatione quaedam addit. Frigus febrile nimium moderatur, applicato regioni epigaſtricae linteo duplicato cum aliquot guttulis menthae, chamomillae romanae, abſinthii et caryophyllis, ex vino Gallico coctis, ſeu infuſum theae calidum cum citri recentis flauedine, vel florum ſambuci pauxillo mellis, ſaepe et parum vna vice. Inter alia in aeſtu nimio quoque commendat iulapia temperantia cum ſyrupis acidulis.

p. 32. Venaeſectionem in intermittentibus febribus non prorſus reiicit, ſed infidum auxilium iudicat. Infarctus ſyſtematis venae portarum ab atra bile cauſſam proximam intermittentium, praeſertim quartanae ſaepe conſtituunt. Hic iuuat venarum haemorrhoidalium ſectio. Inter varia remedia antifebrilia, a Noſtro collecta, commemoremus modo externa quaedam e. gr. epithemata, epicarpia et emplaſtra e. gr. rec. vuar. corinth. ſummit. lupuli, ſal. marin. ana drachmas duas, contuſa in pultem applica ad arterias. Rec. farin. tritic. cribr. thur. maſcul. ana

vncias

vncias duas F. cum ſucco menthae emplaſtrum, quod calidum ante acceſſionem adhibetur ad ſpinam dorſi totam, donec ſponte decidat.

In febre ardente et externam cutis ſuperficiem humectare et emollire ſuadet. Laxatis enim ſic vaſis, omnes criticae euacuationes melius ac facilius promouentur. p. 82.

Bilis impetuoſae excretiones per os et aluum mitigentur in febre bilioſa externe ventriculo impoſitis ſaccullis ex herbis aromaticis vino calido imbutis beneque expreſſis, vel etiam applicato linteo quadruplicato ſpiritu vini camphorato tepido imbuto. Venaeſectio hic non, niſi plethora praeſente, indicatur; circa dies criticos inſtitutam, ſaepe deliria et faucium inflammationes ſecuta ſunt. Terreis medicamentis ſi abutamur, materia peccans tenacior redditur et febri hecticae generandae occaſio datur. Camphorae granum vnum, nitroſis puluerib⁹ additum, praecauet inflammationem. Arroſionem inteſtinorum bene mitigant enemata ex lacte cum vitello oui et ſeuo ceruino. p. 91.

Serum ſanguinis viſcidum tenax et acre in minimis vaſculis cutaneis, praecipue in glanduloſa tunica narium, bronchiorum, et inteſtinorum, ſtagnans eamque inflammans, cauſſam proximam febrium catarrhalium benignarum conſtituere ex phaenomenis Noſter colligit. p. 94.

Sopore vrgente in febribus catharrhalibus malignis, furae et plantae pedum cum aceto fricari, imo epiſpaſtica applicari poſſunt. Rubefacientia ex aceto vini cum calida, pedibus applicata, plus ſaepe Noſtro praeſtiterunt, quam veſicatoria. p. 112

Eryſi-

p. 146. Erysipelas est vel phlegmonodes, vel oedematosum vel scirrhodes. Variolarum stadia sunt quatuor, contagii nimirum, inflammationis, suppurationis et exsiccationis. Quando in variolis, salivatione imminuta, oris tumorem non excipit manuum tumor, item pedum tumor, malum hoc recte iudicatur symptoma.

p. 167. Ad puris varioloſi regressum in sanguinem, capitis tumorem et cutis tensionem minuendam sanguinisque reditum ex cerebro facilitandum suadet Noster pustularum perciſſionem. Quae fit decimo circiter morbi die et repeti debet. Pustulae apertae, spongiis aqua tepida a lacte madidis bene sunt abstergendae. Ita enim corpus ab ingenti copia puris liberatur.

p. 196. Progreditur nunc Cl. Auctor ad febres lentas chronicas, quarum aliae benignioris indolis sunt et saepe per annos aegrotos diuexant, donec sub pessimis symptomatis emaciati viribusque exhausti pereant; aliae vero grauioribus stipatae sunt symptomatis, neruos potissimum afficiunt atque plerumque circa vigesimum primum diem, saepe tardius finiuntur. Priores appellat Noster *lentas chronicas*, posteriores *lentas neruosas* febres. Calor post pastum cum virium defectu signum pathognomonicum febris lentae constituit. Febris lenta differt ab hectica. Illa mitior est et a vitio humorum et incipiente mala dispositione partium solidarum pendet: haec viscus laesum prodit cum calore continuo et acriore et symptomatis grauioribus. Causa proxima lentarum cernitur in acrimonia humorum praesertim seroso lymphaticorum, quae solida ad motus febriles perpetuo irritat.

Ad

Ad inflammationes cum Noſtro progrediamur p. 240.
phrenitide, ſymptomatica ab initio omni trihorio, vrgente feroce delirio, enema egregie iuuat. Vbi morbus vero deferbuerit, ab iis abſtinendum eſſe arbitratur, ne vires nimium debilitentur. Ophthalmiam, quae febrem inflammatoriam habet comitem, ſolummodo Noſter hic tractat, atque diuidit in externam et internam. Externa dicitur, quae tunicas oculi externas, coniunctiuam nempe, albugineam et corneam occupat. Interna vero, quae in retina, choroidea et vuea ſedem habet. Ad reuulſionem iuuandam inter alia et ſacculos, qui continent ſemen erucae in vino coctum, in nucha vel ſub auribus admotos ſuadet.

Anginae diuiſio in inflammatoriam et catarrho- p. 249.
ſam ſufficere Noſtro videtur. Praeterea autem haec et anginae differentia Noſtro placet, qua diuiditur in tumidam et non tumidam. Prior, quam idiopathicam vocant, tumore quodam partium adfectarum ſe manifeſtat, minusque periculoſa eſt; poſterior vero, ſine vllo ſigno tumoris externi vel interni ab alio plerumque morbo praegreſſo efficitur et difficiliorem admittit medelam.

Nitrum quamuis magnam habeat efficaciam p. 288.
in morbis inflammatoriis; in peripneumonia tamen refracta doſi eſt exhibendum, ne ſtimulo ſuo noceat. Balſamica plus nocent, quam proſunt. Haec enim ſanguinem et humores incendunt et obſtructiones augent. Expectorantia dulcia raro in peripneumonia vtilia, imo potius nociua deprehenduntur. Opiata nunquam quidem hic proſunt, attamen ad tuſſim compeſcendam, qua ſanguinis floridioris profuſio ſuſtinetur vel vulneris conſolidatio retardatur, conueniunt in peripneumonia. Veſicatoria, dorſo et brachiis impoſita, in nimia pectoris oppreſ-

ſione, tuſſi et difficili excretione per ſputa profuiſſe, experientia confirmat. Iisdem quoque diarrhoeam feliciter ſaepe ſiſti, cuilibet rei perito notum eſt.

p. 298. Inter cauſſas occaſionales pleuritidis refertur aer frigidus, praeſertim per rimas anguſtas corpus exaeſtuans nudum afficiens.

p. 307. Veſicatoria in pleuritide ſunt applicanda, ſi, imminuta ſanguinis copia atque ita ſedato impetu febrili, nec in excretis putredine, apparente, dolor remaneat ſimul cum oppletione pectoris. Iuuant quoque in ſuris veſicatoria in contumaciſſimo alui fluxu, quo ſaepe exhauriuntur pleuritici. Alias veſicatoria et omnia quaeque remedia, quae irritant, calefaciunt et impetum augent, vt in omni morbo inflammatorio, ſic in pleuritide nocent. Validiora narcotica in pleuritide reiicit; febre autem ſopita, praeſentibus vigiliis et dolore, leniora, vt flores papaueris rhoeados, ſemen papaueris albi, permittit Cl. Auctor. In pleuritide ſpuria cucurbitulae cum ſcarificatione, lateri adfecto appoſitae, ſaepe ſubito malum tollunt.

p. 312. In paraphrenitide laudantur enemata emollientia frequenter immittenda, quia colon, ita repletum, diaphragmati vicino dat fomentum blande reſoluens.

p. 322. In ſplenitide ſaepe ſtillat ex nare ſiniſtra ſanguis. Refertur itaque inter ſigna huius morbi.

p. 334. Tranſit quidem inflammatio ventriculi, vt reliquae viſcerum inflammationes, in ſanitatem, ſuppurationem, gangraenam, ſcirrhum; hoc tamen habet peculiaris gaſtritis, quod a veneno fortiori ſumto vel potu gelidiſſimo, corpori aeſtuanti affatim ingeſto, orta, ſubitam, conuulſionibus acceleratam, afferat mortem.

In

In enteritide Noſter ob metum gangraenae omnia valentiora remedia purgantia mittit, clysmataque leniſſima, vt ex aqua pluuiali, ſyrupo de althaea et nitro depurato, ne ſtimulo malum adaugeatur, ſuadet. In periculoſi morbi ſtatu inflammatorio quoque acetum, cum calida mixtum et ſub forma clysmatis iniectum, profuiſſe experientia docet. Febre, dolore et ſpasmo ſopitis, in locum relaxantium et emollientium ſubſtituenda ſunt nervina et roborantia, inprimis tinctura et ſal ſuccini. p. 347.

Ad praecauenda veſicae vitia aquae minerales Selteranae cum vel ſine lacte conducunt. Caueant veſicae morbis obnoxii lacticinia, vinum Rhenanum, et vina, quae habent tartareum acidum, refrigerium, inprimis inferiorum partium et opiata, quae valde nocent neruoſarum partium inflammationi. p. 352.

Cum opium circulum humorum manifeſte augeat ſanguinemque rarefaciat, haemorrhagias illud potius promouet, quam impedit. Interim tamen opium conducit iis haemorrhagiis, quae a ſpaſtica partium remotarum ſtrictura vel ſtimulo in loco affecto proficiſcuntur, praemiſſis remediis ſedantibus. p. 367.

Haemoptyſis mutatur facile in phthiſin pulmonalem, ſi illa adſtringentibus fortioribus, vel aqua frigidiſſima largiter hauſta, fuerit ſuppreſſa. Pars enim ſanguinis grumoſi, in pulmonibus relicti, facile putreſcit et in ſaniem conuerſa, vicina erodendo phthiſin pulmonalem inducit. Ad hunc euentum praecauendum inter alia ſolita remedia Noſter compertam habet frequentem inſpirationem aquae tepidae. p. 384.

Proxima cauſſa vomitus cruenti a multis in laeſione vaſorum breuium venoſorum ponitur; Cl. p. 391.

Auctor autem arbitratur, per haec vasa vel nunquam, vel raro sanguinem effundi. Motus sanguinis in venis retrogradus, situs vasorum breuium inter tunicam membranaceam et musculosam satis docent, ex iis in ventriculum effundi non posse, nisi vasa haec ipsa et simul interiores ventriculi tunicae fuerint disrupta vel erosa. Hac vero posita conditione, vomitus cruentus vel nunquam, vel raro saltem sanaretur. Quod cum experientiae repugnet, vix probabile est, per vasa breuia sanguinem in ventriculum effundi.

p. 393. Quapropter si vomitus cruentus ex magno et corrupto liene deriuandus est, vt plurimum periculum portendit, quia indicat, vasa brevia atque membranam interiorem ventriculi esse rupta. Periculosior est ille ex obstructo hepate, si sanguis poros biliarios relaxatos intrat atque ex his per ductum choledochum in duodenum, ex hoc partim in intestina inferiora, partim in ventriculum defertur. Excernitur enim in hoc morbi statu sanguis ater, spissus atrabilarius et pici similis per os et aluum et periculosum morbum Hippocraticum sistit.

p. 411. Immodico fluxu vterino laborantes, eo durante situm in lecto, natibus per puluinar suppositum eleuatis, seruent tranquillum.

p. 413. Finit Cl. Auctor morbos hos circuli sanguinei haemorrhoidibus, deque iis nimiis hic potissimum agit, cum alia occasione de haemorrhoidibus in genere Germanico idiomate libellum vulgavit. Nimius hic fluxus debilitat et subinde cachexiam hecticam et hydropem generat. Facilius curatur ille, si oritur a solo vitio sanguinis abundantis, acrioris, tenuioris vel spissioris, ac si ab obstructione viscerum

rum scirrhosa, inprimis hepatis et ab atonia vasorum pendet.

Profluuium hoc ortum a laxitate vasorum, praecipue intestini recti, saepe curatur solo vsu rhei diuturno, paruis, sed repetitis dosibus, aquis Pyrmontanis et Spadanis, lactisque sero chalybeato. p. 417.

XII.

Sechs seltene anatomisch-chirurgische Wahrnehmungen, gesammlet und herausgegeben von CHRISTOPH GOTTLIEB BÜTTNER, *der Arzneygelahrheit Doctor etc. mit 7 Kupfern. Königsberg, bey Gottlieb Lebrecht Hartung* 1774. 4. *Seit.* 76 *und* 28.

i. e.

Sex rarae anatomico-chirurgicae obseruationes, collectae et editae a CHRISTOPHORO GOTTLIEB BÜTTNER, M. D.

Iam alibi *) de Nostri assiduitate atque studio dedimus documenta, et hic nouum addimus.

1) Obseruatio de exostosi ad maxillam inferiorem. Appellat Noster excrescentiam spongioso-cauernoso celluloso osseam, et refert eam ad exostoses benignas, quoniam nulla humorum impuritas eam progenuit. Subinde creuit hic tumor et lapsui in sexto aetatis anno debetur. Pondere aequabat vncias quinque totidemque drachmas. Maceratione facta et exsiccatione instituta, haec fungosa excrescentia pondere vnciae vnius et dimidiae erat. p. 1.

Creuit hic tumor a sexto vsque ad decimum septimum annum, abinde non amplius. Hoc deriuat p. 12.

*) vid. comm. nostr. dec. II. suppl. II. p. 323. it. Vol. XVII. p. 526. it. Vol. XVIII. p. 350.

tiuat Noſter ab imminuto humorum affluxu, partim ob nactam maxillae integritatem, partim ob augmentum corporis omnino, quod plus ſanguinis poſcit. Inde igitur factum eſt, vt per tres annos amplius non creſceret tumor. Dein feliciter hic tumor, qui icone repraeſentatur, exſciſſus et virgo penitus eſt ſanitati reſtituta. Lingua enim balbutiens non potuit corrigi ob ſeptem dentium defectum.

p. 17. Additis dein aliis exemplis exoſtoſium ad maxillas, quarum et icones adiecit, putat Noſter, has excreſcentias non eſſe reuerſuras.

p. 18. 2) Obſeruatio de felici 1771 inſtituta lithotomia in ſexageſimo et quinto aetatis anno, qua vir calculo ex veſica vrinae eſt liberatus. Inquirit hic Noſter primum in naturam, dein in originem calculi et denique loca, quibus calculi generantur. Erat calculus, vti ex icone apparet, ſatis magnus, oualis, quatuor vnciarum pondere. Lithotomia idcirco erat operoſa et difficilis.

p. 44. 3) Obſeruatio de rupto liene ſine externa laeſione lapſu ab alto, in viro, et de hepate ſeparato a diaphragmate; et de rupto pulmone dextro in puella, decem annorum, quae carpento laeſa eſt, pariter ſine vlla contuſione externa. Ambo defierunt viuere.

p. 55. 4) Obſeruatio cariei in maxilla inferiori dextrorſum, quae die 22 octobris 1773 feliciter, nec adeo cum doloribus ſeparata eſt. Gena dextra autem craſſior eſt adhuc ſiniſtra. Ceterum calli generatio plena facta et vulnus iuſte eſt clauſum. Addit hic praeterea exemplum ex actis nouis phyſicis academiae naturae curioſorum *), a Cl. CONSBRVCH collectum, vbi de vlcere cancroſo cum carie

*) v. Vol. V. obſ. 21. p. 74 ſeqq.

rie oſſis temporum in puero decem annorum quaedam tradit. Exfoliatio iuſta ſubſequuta eſt et vlcus ſanatum.

5) Obſeruatio de rupto tumore ſubduro ſub vmbilico per tuſſim et ſternutationem, e quo calculi ſunt elapſi. Erant calculi triginta et octo, quorum duos perquiſiuit Noſter, qui ponderabant grana ſeptem, et vnum fractum quatuor granorum pondere. Sunt rotundi, plerumque inaequaliter quadrangulares, ſuperficies horum calculorum eſt lata, non aſpera, ſed plana, laeuis et ſplendens, magnitudine aequant piſa minora. Color eſt flauus, maculis nigris turbatus. Externae firmiores et denſiores, quam internae lamellae eorum, quarum nouem numerat Cl. Auctor, erant pingues, oleoſae, pellucidae, ſplendentes, tenaciores autem, quam nucleus, qui lamellis deſtitutus, erat friabilis. Haec ſigna Noſter refert ad demonſtrandum, hos calculos eſſe felleos. Praeterea eos comparauit cum felleis et omnia ſigna reperit. Hi calculi per duodenum in ieiuno collecti, inflammationem et ſuppurationem effecerunt. Vulnus hactenus eſt apertum et timendum eſt de fiſtula, quae ſolet remanere in eiusmodi caſu, vti obſeruatum eſt *). Laxantia cum excrementis nullum calculum eduxerunt. Die 14 nouembris 1773 laxans eſt datum, nec calculus per anum eſt euacuatus; altero die autem poſt, rurſus calculus per vulnus prodiit. Finiunt hanc obſeruationem aliorum virorum, vt VALISNERI, BLANCARD, CHESELDEN exempla, eundem caſum ſpectantia. p. 66.

6) Obſeruatio rari et curioſis ſymptomatis ſtipati morbi, qui durauit tres per annos et menſes p. 76.

*) v. Mém. de l'Acad. de Chirurgie Tom. I. p. 298.

ſes quatuor, in virgine annorum viginti et nouem. Laborabat obſtructionibus aluinis, febrilibus acceſſionibus, lipothymiis, anxietatibus et pectoris doloribus, vomitu per annum, mox aſthmate ſpaſtico, mox tenſionibus ſpaſticis in capite atque conuulſionibus, ſaliuatione per quinque ſeptimanas ante mortem. Haec varia ſymptomata nonnullos medicos, quos conſuluerunt amici aegrae, turbarunt; ideoque aliter atque aliter ſenſerunt. Sectio vero cadaueris monſtrabat ſitum viſcerum abdominalium irregularem, inprimis ventriculi, quo hae anxietates et ſpaſticae contractiones cum neruoſa debilitate ſumma ortae ſunt. Atque nos inprimis miramur, menſtrua huius aegrae inter tot ſymptomata huius maxime complicati morbi rite et iuſte plerumque fluxiſſe.

XIII.

Specimen medicum inaugurale de contagio varioloſo ex obſeruationibus indagato, Auctore GERARDO NIEROP, Yſaloſtadienſe. Lugd. Bat. apud Ioannem le Mair et Andream Coſter 1774. 4. pagg. 69.

Continet hic liber academicus multas lectu dignas res, partim a Noſtro ex optimis quibusque Auctoribus collectas, partim ab Eo ipſo, qui ſaepe nactus eſt occaſionem morbum varioloſum attendendi, obſeruatas. Antequam vero ſuas obſeruationes enarrat, quinque capita praemittit, quorum primum agit de morbi varioloſi ſymptomatis atque decurſu; ſecundum ſpectat contagium varioloſum; tertium de praedisponente conditione ad variolas tractat; quarto in capite diſſeritur de contagii varioloſi epidemica conditione, et quintum inquirit in malignitatem, vim venenatam atque fallaciam

fallaciam morbi varioloſi epidemici. Finit denique hanc diſſertationem mantiſſa obſeruationum. Nos quaedam, vti ſolemus, exempli loco deligamus.

Morbis contagioſis, vt varioloſis, morbilloſis, ſcabioſis, peſtilentialibus, putridis acutis, exanthematicis, petechialibus ratione contagii, aliquid inter ſe commune eſſe et eos tantum contagii gradu differre Noſtro videtur. p. 11.

Variolae artificiales ſunt verae. Ipſae enim eadem ſua ſtadia ac decurſum habent, quae variolae naturales benignae, pollent praeterea quoque vi contagioſa. Nam materies ex inoculato ſumta et in alterius nunquam variolati corpus deducta, ſuo tempore iterum producit variolas; imo conſtat no vies ſucceſſiue ex inſito in corpus, quod variolis non paſſum erat, materiam inſertam fuiſſe, et continuo verum morbum varioloſum produxiſſe. Vidit ipſe Noſter ſaepius materiem varioloſam ab inſitis deſumtam veras variolas per traducem in aliis excitaſſe, quandoque etiam ſatis copioſas, ſemel in puero quam plurimas. p. 19.

Contagium varioloſum cum per ſe non multo maiori inficiendi gaudeat vi, quam ſcabioſum, venereum aut aliud analogum, operae pretium eſt inueſtigare diſpoſitionem ad variolas. Colligit itaque ex multis argumentis, hic a nobis mittendis, contagium varioloſum agere non minus in ſolida, quam in fluida; adeoque ſolam mutationem in his, inductam a fermentatione aliaue quacunque cauſſa, non ſufficere ad variolas excitandas. Contagium igitur varioloſum non ſolos humores inſtar fermenti alioue modo infectat, ſed et ſtimuli inſtar ſolida afficit. p. 26.

Morbum varioloſum eſſe haereditarium concedit Noſter et exemplis probat. Analogia aliorum morborum contagioſorum plus ſemel homines in- p. 38.

feſtantium, exemplis Cll. Auctorum aliisque atque aliis argumentis ductus ſtatuit Noſter, fieri poſſe variolarum naturalium reditum, nec eum negat in artificialibus. Quapropter et reditus variolarum poſt implantationem nihil facit contra commodum inſitionis.

p. 44. Solum contagium ſine diſpoſitione non ſufficit, vt homo variolis laboret. Praeſente vero diſpoſitione ad variolas, per proximum contactum naſci quidem poteſt morbus varioloſus, nondum tamen vniuerſalis ſiue epidemicus, ſed ſporadicus. Requiritur igitur tertium quid ſingulare, quod faciat, vt contagium vniuerſalius affectet, vel vt diſpoſitio magis ad concipiendum miaſma excitetur et apta reddatur. Atque illud vel in aere aliisue rebus non naturalibus, quae generalis ſunt vſus, vel in corpore humano quaerendum eſſe, videtur concludi debere; in quonam autem horum, vix determinare auſit Noſter.

p. 61. Ex obſeruationum, a Noſtro hic additarum, quinta et ſexta apparet, variolas poſt implantationem, licet bis repetitam, non ſubſecutas fuiſſe: quamuis haec puella cum fratribus, variolas ex inſitione paſſis, non ſolum in iisdem aedibus, ſed in eodem cubiculo vixerit, praetereaque acceſſerit ipſa ad puerum copioſis variolis correptum.

p. 66. In decima obſeruatione inoculationis exempla enarrantur, quae docent pus variolarum artificialium aeque facile variolas deriuare, quam naturalium.

XIV. IOAN-

XIV.

IOANNIS DAVIDIS HAHNII oratio de vſu venenorum in medicina, habita VII. calend. aprilis 1773, cum magiſtratu academico ſecundum abiret. Trai. ad Rhen. ex officina Abrahami van Paddenburg, acad. typograph. 1773. 4. pagg. 128.

Duo ſunt principalia venenorum genera, quae conſiderari a medicis debent, vnum corporale eſt, alterum corporis expers. Corpore praedita venena ſunt res naturales vel ex his, ſiue integris, ſiue corruptis conflatae aut extractae, habitu, forma, viribus valde discrepantes; ſed hactenus coniungendae, quod naturae humanae facultates ſuperent, neque in materiem corpori nutriendo aptam conuerti poſſint, quin imo vitae ac ſanitati ocius ſerius vehementer noceant, factis in homine mutationibus, quae per cognitas mechanicae leges explicari nequeunt. p. 11.

Ad vnum genus pertinent hae quatuor ſpecies. Primo multa ſunt et haec quidem ceteris ſubtiliora atque velociora, quae cum ſpiritu attracta caput aut pulmones extemplo feriant et ſubitiſſimas ſaepe mortes producant. Sunt deinde, quae, corpori extrinſecus illita, dum inuiſibiles claudunt vel permeant poros, internas partes laedant. Pleraque eiusmodi ſunt, vt corpus non male afficiant, niſi cum cibo, aut potu in ventriculum peruenerint. Sunt denique, quibus ore aſſumtis nulla ſit nocendi poteſtas, quae tamen, ſi per venam, ferro, morſu alioue modo apertam ſanguini admiſcentur, incredibiles turbas faciant. p. 12.

Alterum vero genus venenorum dixit Noſter corporis et materiae expers eſſe, propterea quoniam p. 14.

niam ab animo conturbato ſuoque impetu corpus exagitante proficiſcitur. Sunt haec potiſſimum animi commotiones nimiae, gratae aeque, pariter ac ingratae. Exempla pudoris, terroris, irae cet. improuiſae e. gr. circumforanei cura epilepſiae per improuiſas verberationes et terrores, a Cl. Auctore commemorata, ſunt nobis mittenda.

p. 39. Vſus medicus venenorum teſtantibus DIOSCORIDE, PLINIO, CELSO, imo HIPPOCRATE, veteribus iam notus eſt. Cicutam ſuaſit HIPPOCRATES. GALENVS mandragorae ſuccum in locum opii ſubſtitui poſſe monet Aconitum contra ſcorpionum ictus et inter externa oculorum medicamenta leuandi doloris gratia a DIOSCORIDE et PLINIO laudatur. Alia exempla, rem, quam tractat Noſter, illuſtrantia et confirmantia, hic collecta inueniri poſſunt.

p. 90. Pathologiam animatam, a cuius parte non videtur ſtare, arbitratur Noſter occaſionem dediſſe medicis, hac doctrina imbutis, venena, frequentius velut ex officio et quadam neceſſitate in multis morbis adminiſtrandi. Hunc igitur ad finem radices veratri et napelli, ſemina nigellae, aquilegiae, ſtaphidisagriae, porro ſabina, cocculi cet. in multis morbis animoſius adhiberi coeperunt.

p. 109. Hic inquiritur, num ars medica venenis carere queat? Acutiſſima haec arma, peritis manibus tractata, magnam vim exſerunt magnisque in morbis interdum vtiliter adhibentur. Et quemadmodum ars medica ferro et igne et venenis incorporalibus, ſic quoque toxicis nonnunquam indiget. Quapropter quidem iis in arte facienda nolit omnino carere, attamen diſſimulare non poteſt Noſter, operoſam venenorum agitationem, quam multi cum ſummis

mis laudibus facere ſolent eorumque familiarem adminiſtrationem ei diſplicere. Suadet idcirco cautum eorum vſum.

XV.

Obſervations ſur le cacao & ſur le chocolat. Où l'on examine les avantages et les inconvéniens, qui peuvent réſulter de l'uſage des ces ſubſtances nourricieres. Le tout fondé ſur l'experience et ſur les récherches analytiques de l'amande du cacao. Suivies de reflexions ſur le ſyſtême de Mr. DE LAMURE, touchant le battement des arteres. A Paris, chez P. Fr. Didot jeune, libraire, M. DCC. LXXII. 8. pagg. 144.

i. e.

Obſeruationes de cacao et de chocolata.

Huius libelli Auctor ignotus omnem dedit operam, vt notiſſimam gratiſſimamque potionem illam Arabicam, chocolatam dictam, cuius baſis eſt fructus *Theobromae Cacao* LINN., variis chemicis, vbicunque experientia niſis, tentaminibus aliorum opinionibus liberaret, quae parte prima enarrat; eiusque vtilitatem vna cum damno ex rationibus chemicis, anatomicis et phyſiologicis parte altera confirmaret; quem quidem ob varias obſeruationes partim nouiſſimas lubenter legimus.

Capite primo huius plantae hiſtoriam Cl. Auctor tractat botanicam, eiusque locum natalem. In arbore vno eodemque tempore ſemper folia, flores ac fructus inueniuntur. Fructum autem vulgari *Cucumeri Meloni* ſimilem eſſe cenſet, continentem Pars. I. p. 1.

15—

15-25 cacao ſemina.*) Etſi huius arboris tantum vnam ſpeciem, cuius fructus, quoad locum natalem, magnitudinem, pondus ac qualitatem multum inter ſe differunt, inuenit; tamen plerumque ob hanc diſcrepantiam in tres ſpecies diuiduntur a mercatoribus.

p. 7. Illi, qui ſub nomine *de Caraca* venduntur, optimi cenſentur. Omnium fructuum hae amygdalae maximam olei expreſſi praebent quantitatem, qua-

p. 11. rum oleum ſaporem amygdalis ex inſula *Barbador* et *Antillanis* inſulis ſuppeditat minus amarum. Fructus cacao ſicciſſimo loco, cum alias facile corrumpantur, ſunt conſeruandi. Toſtione modice inſtituta atque decorticatione peracta, in puluerem groſſum comminutae amygdalae prelo calefacto tradendae, oleum tali modo elicitum, refrigeratum craſſeſcens, conſiſtentiae cauſſa butyrum dictum, poſt octodecim annorum interuallum, ſaporem ſuum recentiſſimum ac gratiſſimum minime perdidiſſe, neque fieri rancidum, per experientiam probat. Chocolatae, cuius praeparationem docet, iſtam tribuit virtutem, nempe poſt 30-40 annorum ſpatium adhuc fuiſſe incorruptam: quod autem nos per experientiam aliter ſcimus. Attamen indicat Auctor, ſe inueniſſe chocolatam leni mucore, tamen nec ſapore, nec odore mutato, ſuperinductam, quam culpam hoc loco rectè ſaccharo adſcribit. Oleum ex maturis atque recentibus amygdalis Americanis expreſſum, vbi loco olei et butyri vulgaris in vſum culinarem adhibetur, quoad conſiſtentiam maxime differt ab oleo Europaeo.

Tenta-

*) In Hygiene dogmatico-practica rationem conſeruandae ſanitatis corporis humani cum variis artis medicae ſupplementis ita exponente, vt lectoribus quibusuis vtiliter inſeruire queant,) Francofurti et Lipſiae 1757. 4.) 30-40 amygdalae in ſingulis ſiliquis numerantur.

Tentamina, ab aliis celeberrimis Auctoribus instituta, capite secundo Noster enarrat. p. 15.

Capite tertio sua ob oculos ponit Auctor experimenta; quibus passim alios Auctores refellere conatur. Vncia vna cacao per coctionem drachmas tres grana quadraginta duo olei exhibuit, quod pondus, sale alcalino addito, fuit auctum. Spiritus per retortam stillans, aromaticus, acidulus, amaricans et tantillum empyreumaticus, chartam illam coeruleam ad rubedinem disponebat. Cum ne puluisculum quidem salis volatilis acciperet, RAII et LEMERY opinionibus repugnat. CAYLI duo oleorum genera quoque se ostenderunt; facillime autem super ignem fusa, in vnum sunt redacta. Oleum vna cum cum spiritu per retortam aqua affusa destillans, oleum volatile aethereum, ambrae odorem, et volatilitatem olei animalis DIPPELII aemulans accepit, quod cum BOERHAAVE spiritum rectorem de cacao appellat. E capite mortuo, in cineres redacto, ope magnetis particulas separauit ferreas. Extractione cinerum filtrata, et ad cuticulam vsque euaporata, nitidas particulas, talco similes, obseruauit. Lixiuium ad siccitatem vsque euaporatum, deliquescebat. Cum hoc lixivio varia adhuc tentauit, sed nullius momenti. p. 18.

Experimenta cum corticibus fructuum instituta, capite quarto indicat. Spiritus praecedenti modo acquisitus subruber chartam coeruleam rubefaciens, quod cum spiritu fructuum ipsorum non fit, olei aetherei ac empyreumatici odorem spirauit. Ad finem sal volatile concretum, a RAIO et LEMERY quidem affirmatum, sed a CAYLO negatum, vidit. p. 44.

Capite

p. 52. Capite quinto comparationem cum cacao et coffea inſtituit, inprimis cum eius butyro, quod eodem modo fit craſſum. Spiritus coffeae, odorem butyri cacao imitans; aciditate tamen ſpiritum cacao ſuperat. Sal coffeae caſtorei odorem praebet quoque ſublimandum, ſed ſal cacao eſt fixum.

Pars. II. p. 55. In partis ſecundae primo capite cacao et chocolatae effecta in partes ſolidas et fluidas diſquiruntur. Maxima differentia in oleoſis partibus eſt quaerenda, quae in omnibus aliis fructibus quam facillime rancidae fiunt. Butyrum cacao cupreae inditum laminae menſe praeterlapſo, non induit colorem virideſcentem. Ferrum et chalybem politum hoc oleo a ferrugine liberare tentauit, quod ex voto euenit. Porro magna encomia, quoad vſum medicum, Cl. Auctor chocolatae tribuit. Proficiſcentibus, qui ob defectum tenui victu vtuntur, eandem optime commendat. Teſtante Patre LABAT, Americae incolae chocolata indies veſcuntur. CAYLVS aromatum admixtionem interdicit. Chocolatae cum vetuſta ſit, qua nos fruimur, minime iſtae vires ſunt adſcribendae, quam, quae Americae paratur: ibidem enim non craſſeſcere; craſſitiem vero in nonnullis mali effecti eſſe cauſſam. Quam ob rem conſilium praebet, quo hoc oleum fluidum fiat. Frigida chocolata, ſiue ſit cum lacte, ſiue cum aqua praeparata, ſiue male mixta et in ſpumam non redacta, minime ſumenda: digeſtionem enim impedit.

P. 93. De vſu chocolatae in morbis chronicis capite ſecundo tractatur. Hanc potionem Arabicam cum cortice Peruuiano comparat. Duo refert exempla, quod febricitantes ſola chocolata cum aqua parata reſtaurati ſint.

Capite

Capite tertio Cl. Auctor de chocolatae detri- p. 112.
mento agit: eamque prohibet illis, qui gulae indulgent, carnibus veſcuntur ſuccoſis, et vita tranquilla vtuntur, vt et obeſis, vbi nunquam immediate poſt prandium ſumenda ſit. Tempore matutino chocolata vna cum pane, praecipue toſto, digeſtionem prorſus prohibens, non eſt ſumenda; inde quam ſaepiſſime ingrata effecta oriri dicuntur. Chocolata cum aqua cocta et in ſpumam redacta, illi cum lacte praefertur. Proficiſcentibus militibusque vnciae tres, cum vnciis octodecim aquae feruentis, in ſpumam bene actae, ſumptae, per viginti quatuor horas, cum pane carent, ad vitam ſuſtinendam ſufficiunt. Exoptat, vt cacao abſque vllo addito ſaccharo ex America ad nos in tabulis, ſimul ac meſſis ſit finita, deducatur. Vt ſpumeſcentia augeatur, vitellum oui conſultat. Paratio in vaſis metallicis, vt et aromata admixta prorſus ſunt deteſtanda.

Chocolatam tamquam vehiculum purgantium p. 122
gratiſſimum, ſaporis occultandi gratia, quorum effectus non minuantur, capite quarto laudat. Pellicula cacao a nonnullis, quaſi noxia, at ex inſcitia, ſeparatur. Per analyſin Auctor demonſtrat, hanc eandem praebere virtutem, quam cacao. Drachmae duae pellicularum, in ſex vnciis aquae feruentis coctarum, ſufficiens ſacchari quantitas admiſcenda, potionem dat gratiſſimam, quae quoque cum lacte ſorbeatur. Ex defectu partium butyroſarum magis digeſtionem promouet. Ex pelliculis tantillum ſalis volatilis ſeparauit.

Sub finem affirmat, ſe chocolatae et cacao vir- p. 127.
tutes non extolliſſe, monetque, ne corrupta viliſque chocolata aegrotis exhibeatur, atque a mangonizantibus amygdalas dulces, ſeuum hircinum, farinamque toſtam admiſceri ait.

p. 130 Addita diſquiſitione refutare conatur Anonymus ſyſtema Cl. LAMURE, quod in hiſtoria academiae Pariſinae exſtans a nobis tum indicabitur. Tribuit LAMURE pulſum arteriarum ſoli motui ſpaſmi, qui ſit actione ſanguinis determinatus, vt irritet membranas nerueas muſculoſasque vaſorum. Eſt Anonymus aliorum Phyſiologorum, vt HALLERI, FERREIN, SENAC, IADELOT, etc. ſententiae, quam pluribus defendit.

XVI.

Berliniſche Sammlungen, zur Beförderung der Arzneywiſſenſchaft, der Naturgeſchichte, der Haushaltungskunſt, Cameralwiſſenſchaft und der dahin einſchlagenden Litteratur. 1ter Band. 1—6tes Stück. Berlin, bey Joachim Pauli 1768. 8. 1 Alph. 20 Bogen. 2ter Band 1—6tes Stück. ib. 1770. 1 Alph. 19 Bogen.

i. e.

Collectanea Berolinenſia, ad promouendam medicinam, hiſtoriam, naturalem, oeconomiam, et ſcientiam cameralem ſcripta. Vol. I. II.

Acceptam Lectoribus fore huius libri perutilis, et res, notatu digniſſimas, continentis, breuem epitomen iudicamus. Quodlibet volumen e ſex partibus componitur: tractatus, ad diſciplinas, in inſcriptione indicatas, pertinentes, hic occurrunt, et translationes, tum denique nouorum librorum breves recenſiones. Propter breuitatis vero ſtudium nos earum tractationum tantum hic mentionem faciamus, quae ad nos propius ſpectant, nouas, vel perraras obſeruationes continent, neque a nobis adhucdum indicatae ſunt; reliquas prorſus omittentes.

2) OTHO-

2) OTHONIS FRIDERICI MÜLLERI *de* Pars. I.
novo zoophyto tractatio, regiae academiae ſcientiarum p. 41.
1764 *praelecta.* Fimum equinum obtectum inuenit corpuſculis ouatis cryſtallinis, quae mucori ſimilia, firmiora tamen erant, apice nigro capitulo punctata, pedicello tenui inſidentia. Pedicelli vel recti, vel curuati erant, quod Noſter a niſu ſe liberandi deriuat. Microſcopio vidit globuli partem ſuperiorem atque baſin flaueſcere, atque exinde vaporem pellucidum aſcendere, totumque globulum obſcurare: eumque augeri continuo, totumque globulum flaueſcere, donec omnes cryſtallinae plantulae poſt meridiem euaneſcerent: ſimul vidit flaueſcentia corpuſcula, fungis ſimilia. In multis globulis album admodum, tenuem tamen vermem reperit, in globulis hinc illinc lente ſerpentem. Altero die, poſtquam euanuerant illi, denuo animaduertit, cryſtallinas plantas, paullo minores, omniaque exhibebant prioris diei phaenomena: isque ortus et interitus horum corpuſculorum per quosdam annos a Cl. Auctore eſt obſeruatus. Exinde ſequi putat, non omnia corpora naturalia, a trium regnorum limitibus circumſcribi poſſe: verum eſſe, quae ab illis plane ſint diuerſae naturae.

3) *Obſeruatio de veſpertilione Surinamenſi* (V. *Spe-* P. 54.
ctro, LINN.) De ſanguinis ſuctione horum animalium, fat nota, agitur, affirmaturque morſu et venaeſectione hac, modo non ſit nimia, vehementer releuari homines: vulnere facto, atque a ſuctione remittente animale, ſanguis fluere pergit, ad deliquia, imo ad exanitionem vaſorum.

4) *Tabula eorum, quae a ſociis ſocietatis apia-* p. 58.
riae Luſaticae, aliisque ſint diſquirenda.

6) *Obſeruatio de vi mercurii dulcis in parua doſi* p. 83.
inueterata in arthritide venerea, a gonorrhoea mul-

tum ante male curata etc. Mercurii dulcis et ſulphuris antimonii aurati ana grana duo, camphorae granum vnum, lapidum cancrorum praeparatorum drachmam dimidiam; M.F. Pulu. Hunc puluerem ad ſaliuationem arcendam verſus veſperam alterius diei aegro exhibebat medicus, nihilominus tamen, etiamſi et camphora addita eſſet, ſaliuatio non poterat impediri, nec cedebat laxantibus. Aeger vero ita ſanitati reſtituebatur: monetur hic, mercurium dulcem in parua doſi eſſe exhibendum ob inſignes vires mercurii.

p. 90. 7) *Sympatheticum remedium contra verrucas in manubus et facie.* Sumitur caput occiſae anguillae et illinuntur eius ſanguine hae verrucae, naeui et clavi. Non abſtergitur ſanguis ante, quam ſiccefcat et caput illud terrae committitur ita, vt nequeat effodi.

p. 96. 8) *Breuis hiſtoria naturalis* Anatis molliſſimae LINNAEI.

Pars. II. p. 13. 1) *Conſilium de ratione, qua cultura ſerici commode poſſit, cum parua copia eiusdem adſit, et a ruricolis inſtitui.*

p. 143. 3) *Cautiones circa merſos.*

p. 162. 4) *Decretum medicorum et chirurgorum Hamburgenſium in emolumentum pauperum aegrorum.*

p. 186. 8) Ill. GLEDITSCH *tentamen, fungos in cera fundendi.* Omnino vtilem facilem et amoenam hic detectam eſſe methodum fatendum eſt. Res in eo conſiſtit, vt gypſum ad formas fungorum adaptetur, quod, ſi fungi prius oleo oliuarum illinantur, vbique facile fieri poteſt: deinde cera in has formas fundatur. Atque ſic fungorum imago, vel coloribus illuſtrata, vel ſine illis, eorumque ſtructura optime

optime reſeruatur. Affirmant Auctores huius diarii, ill. Auctoren etiamnum continuare in perficiendo magis hoco egregio inuento.

1) *Obſeruatio de notatu digna obſtructione aluina* Pars III.
e polypoſa concretione a 5. ianuarii uſque ad 18 fe- p. 223.
bruarium. Inter alia remedia multa inprimis conducebat candela ceracea, quae quotidie applicabatur eaque craſſior ſubinde ſumebatur. Dein curua cannula clyſteres immittebantur. Atque ita iis ambobus remediis aluus adeo aperiebatur, vt ſedantibus remediis opus eſſet. Integra igitur videbatur paullo poſt vti valetudine: poſtea vero repente apoplexia moriebatur. Noſter quaerit cauſſam aliquam mortis in nimia ac celeri repletione corporis debilis per alimenta. Siniſtrum latus cadaueris erat coeruleum. Abdomine aperto, p. 238.
inteſtina ſola morboſa erant. Extus in iis varices, intus aphthae conſpiciebantur. Tunicae inteſtini recti ſolito craſſiores erant, et ibi, vbi polypus haerebat, craſſities erat digiti minimi. Concretio haec polypoſa eminebat ad pollicem dimidium et adeo anguſtum canalem, vt aegre digitus poſſet immitti, reddebat. Saccus huius concretionis erat ipſum nimis ampliatum inteſtinum rectum.

2) *De foecundatione floris a polline.* Quae vi- p. 241.
ſa ſint in flore *Cacti flabelliformis* LINN. enarrantur. In germine nempe ope microſcopii ſe obſeruaſſe dicit Anonymus, latere centenos quaſi embryones, matri omnino ſimiles, atque in ſtylo medio eſſe meatum, quo pollen in germen ducatur.

3) *De generationis modo Pleuronectis Soleae* p. 249.
LINN. Confirmatur, quae DESLANDES dixit, ouа huius piſcis adhaerere caudae cancri cuiusdam marini (*Salicoques* Gall.), atque non, niſi illic, euolui.

p. 253. 4) *De noxa, tonitru tempore, campanis ſonum excitare.*

p. 260. 5) *Super ſenſibus meditationes.* Animalium cum hominis ſenſibus comparantur: negaturque, animalia ſenſibus homines antecellere.

p. 287. 11) *De marga tractatus.* Vſus eiusdem in foecundatione ſoli monſtratur, indicanturque eius differentiae.

p. 303. 14) *Zoophytum* atque *Piſcis* ingentis magnitudinis breuiter deſcribuntur, non tamen ſatis definiuntur, vt, quaenam ſint, determinari poſſit. Tum de docilitate et manſuetudine apum diſſeritur.

Pars IV p. 334. 1) *De hydrophobia, quae ab ira vehementi orta eſt.* Mulier intra triduum haec mortua eſt. Hydrophobiam, etiamſi mania deerat, appellat, quoniam aegra omnia fluida reſpuit, et idcirco cum ARRELIANO hygrophobiae nomen praefert. Non ſemper pendet hic morbus a morſu animalis rabidi. Oritur non raro a phrenitide, melancholia cet. Finit hanc tractationem relatio de inſtrumento contra anguſtationem oeſophagi, quod cum excutia ventriculi ſimilitudinem quandam habet.

p. 349. 2) *De ratione, qua oriantur cochlearum teſtae et colores.*

p. 378. 5) *Breuis Simiarum hiſtoria naturalis*, lectu amoena. Inter alia affirmatur, carere Simias oſſiculis auditoriis, ſtapede, incude et malleo.

p. 387. 6) *Simiae Mormonis* ALSTROEMERII deſcriptio, et icon. *)

Pars V. p. 443. 1) *Excerptum ex libro, Theoria ſyſtematis animalis inſcripto (Theorie du Syſteme animal. à Leyde 1768.)*

*) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 525.

1768.) Demonſtrari in eo oſtenditur, omnia in natura viuere, vti ROBINET vult, eſſeque cuncta ideo facta, vt mundi praeſtantia, vel τὸ optimum clare intelligatur.

4) *Collectio rerum medicarum notatu dignarum.* Caſus inediae. Lapſus memoriae. Machina a Cl. BVCHOZ inuenta, vt phthiſi mederi poſſit. De morbo Surinamenſi *Klem.* Remedium variolas praecauendi. Sella chirurgica Cl. ARNAVD.*) Singularis effectus terroris. Per terrorem in ſoporem incidebat aliquando aeger per duas horas. Ab eo tempore quodlibet triſte fatum, ei imminens, talem ſoporem efficiebat. Nullo modo poterat excitari hoc ſopore praeſente, vſque dum ſponte ceſſaret. De rara tuſſi Hildanorum. Quilibet peregrinus incolis huius inſulae, omnium aetatum, et infantilis, hanc tuſſim excitat. Durat per decem duodecimue dies. Si febrim antea paſſus eſt peregrinus, et febri afficiuntur Hildani. p. 473.

5) *Collectio remediorum.* Flores ſulphuris in febribus intermittentibus, item ſalicis albae vulgaris cortex. Daucus ſyluestris contra calculum et renum dolores. p. 487.

7) *Quaedam ad naturalem hiſtoriam Papilionis Braſſicae* Auctore IO. SAM. SCHRÖTERO, Paſtore Weimarenſi. Varietates *Papilionum Braſſicae Rapae* et *Napi* LINN. hic deſcribuntur.

8) *Deſcriptio et icon Hippopotami amphibii* LINN. ad animal, in muſeo Lugdunenſi reſervatum, factae.**) p. 514.

1) *Quae ſingulo menſe in cultura apum fieri, et quo modo, reſpectu ſingularum regionum, ſitus, tempe-* Pars VI. p. 553.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 150.
**) cf. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 541.

tempeſtatis, etc. mutari debeant exponit Ill. GLEDITSCHIVS. Cum hyeme modice frigido, alto ſopore quieſcant apes, ianuario curandum eſt, vt neque nimium frigus iis noceat, neque ſubita tepida tempeſtas eas excitet. Hinc aluearia leniter ita ſunt obtegenda, vt libero aeri acceſſus pateat. Quae quidem omnia februario etiam valent. In nouis examinibus exſtruendis, cauendum eſt, ne duo in vno horto ſint: alias apes alius aluearii, aliarum fiunt fures. Martio aluearia percontari, apes nutrire, reginam, ſi perierit, nouam curare, hirundinum nidos, quae apum ſunt accipitres, deſtruere cet. oportet. Mellis deſpoliatio pro ratione tempeſtatis eſt inſtituenda. Maio mel ſumitur ex aluearibus optime; nouaque conduntur diuerſo modo alvearia. Iunio et iulio nouae greges emigraturae attendendae ſunt: ſi vero emigrare nolint; nequaquam vi ad id vrgendae apes, vti quidam agunt. Hoſtes vero apum vario modo ſunt arcendi. Auguſto in ſyluas mittuntur apes. Mel caute tantum ſeptembri apibus detrahere licet: fures apes diligentius deſtruere conuenit: Quae octobri fiant, ea vel cum his conueniunt, vel iam ad muniendā contra hiemis frigus aluearia pertinent: atque haec quidem magis nouembri decembrique inſtituentur ſedulo.

p. 611. 3) *Breuis Giraffae (Cerui Camelopardalis L.) deſcriptio et delineatio*, factae ad animal, in muſeo Lugdunenſi reſeruatum. Nouo genere hoc animal diſtingui debere, ſuadent *cornua ſolida*, haud dubie *perennia* *) Inceſſu claudicat, cum anteriores poſterioresque pedes vnius lateris ſimul tollat. Adduntur omnes fere Auctores, qui de eo ſcripſerint.

Ex

*) cf. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 541.

Ex Volumine ſecundo haec deligamus. Vol. II.

1) *Excerpta ex tractatione, qua phyſices cum agri-* Pars. I.
cultura oſtenditur cognatio. Perite hic doctrinae p. 5.
phyſicae de plantis praecepta ad agricolarum erro-
res refellendos adhibentur. Primo recte ex theo-
ria de aſcenſu et deſcenſu humorum in plantis do-
cetur, tantum abeſſe, vt plantae terram quaſi exſu-
gant, vt eiusdem fertilitatem augeant magis: alias
tantum plus, alias minus ſuccorum in terram redu-
cere: ſequi inde minus proſperos ſucceſſus, quod
tempus culturae non recte obſeruetur: maximum-
que plantas ipſamque radicem accipere nutrimen-
tum ex aere: (forſan melius dicetur, aëris vi ſuc-
cos nutritios elaborari et ad nutriendum aptos
reddi.) Ita etiam, quae in cultura agri e phyſices
doctrina corrigenda ſint, bene enarrantur.

2) *Scientiae naturalis vſus, qui in Theologos rure* p. 30.
degentes redundet, a Cl. IO. SAM. SCHRÖTERO
ſcite et eleganter indicatur.

3) *De ebure Sibirico.* Dentes elephanti illud p. 50.
eſſe, atque, cum olim Tartari inter ſe dimicarent,
debilioresque in Sibiriam fugerent, ab his allatos
Elephantos hic mortuos eſſe aſſeritur.

4) *Machina manualis ad lapides findendos* de- p. 79.
ſcribitur a CHRIST. GUILIELMO HAKEN,
Paſtore, atque delineata traditur.

1) *De pretio et raritate petrefactorum praeci-* Pars. II.
puorum, Auctore IO. SAM. SCHROETERO. Primo p. 117.
qualitates, e quibus pretium et raritas petrefacto-
rum cognoſcatur, tum quaedam e rarioribus enar-
rat. Inter ea cochleae alatae, arcae, turbines,
ſcalares, murices et iſides petrefactae. Quod certe
rarum dicit *Crocodili* petrefactum, etiamnum in
muſeo Linkiano hic conſeruatur.

p. 144. 2) *De quaſſia.* Ill. LINNAEVS *) hanc deſcripſit in amoenitatibus academicis. Quapropter nil niſi experimenta hic communicamus. Radix quaſſiae, non vero lignum ſumitur. Non pertinet ad calefacientia; priuat plures res odore et ſapore, e. gr. acetum, ſuccum citri, acida mineralia. Potiſſimum acidum mutat.

Volatilia orbat ea odore, cum puluere liquiritiae mixta imitatur aloen, cum ſpiritu ſalis dulci amygdalas amaras. Cum inebriantibus itaque et calefacientibus remediis mixta quaſſia maximam partem tollit vim inebriantem. Multum valet in impedienda fermentatione et in putredine reſiſtenda. Si conſperguntur puluere eius, aut inundantur decocto eius corpora animalia et vegetabilia, ea duriora et firmiora redduntur.

Tormina et borborygmos a laxantibus corrigit ſpasmosque indę facile oriundos ſopit ea ita, vt vim laxantium minime turbet. Nauſeoſis ſi admiſcetur, imminuit nauſeam. Ea in decocto, ſanguini obſcure rubro cum cruſta inflammatoria addita, mutabat huius e vena miſſi ſanguinis colorem, accelerabat cruoris ortum et cruſtam prorſus ſoluebat; contra vero ſupernatabat ſerum, quod in ſanguinem, cruſta inflammatoria tectum, alias non cadit. Deſtillatio humida parum amaram aquam ſine olei aetherei notis cum muco quodam praebuit; ſex drachmae radicis quaſſiae, lege artis inſpiſſatae, extracti drachmam vnam dederunt; cum ſpiritu vini flaua et admodum amara eſſentia quaſſiae eſt facta, quae aquam reddit quidem turbidam, nullum tamen bitumen ſ. reſinam prodit. Extractum, frigida aqua dilutum, colorem et ſaporem retinuit, nec multae terreae partes ſubſederunt. Igni admotum, non alit flammam. Combuſtio elicuit

*) comm. noſtr. decad. ſecund. Suppl. I. p. 23.

elicuit ope aquae ſal fixum, acre et vrinoſo ſimile, ex ſex drachmis drachmam dimidiam.

Ex his experimentis colligitur, virtutes quaſſiae poſſe forſan deriuari atque explicari ex gummoſo ſalinis et ſulphureis partibus, cum terreis arctiſſime coniunctis Interim refertur hic quaſſia inter remedia generoſa quidem et efficacia, attamen admodum leniter agentia, non calefacientia, ſed corruptionem humorum variam et ſolidarum partium laxitatem arcentia et impedientia. p. 158.

Profuit ea in ſudoribus nocturnis foetidis tabidorum ſine augmento febris et expectorationis impedimento; in ſaliuatione nimia et diabete, in haemorrhagia vteri, in febre quartana cum aſthmate et oedemate, in fluore albo benigno, in vertigine, quae per annum iam durabat, cum ſpaſticis inſultibus in nucha; in diarrhoeis colliquatiuis et febribus bilioſis: cum puluere ſcillae in hydrope, cum guaiaco, ſaſſaparilla et remediis mercurialibus in chronicis ſcorbuticis et venereis et ſaepe inde oriundis arthriticis et podagricis inſultibus. p. 160.

3) *Relatio de quaſſia* per Cl. SCHRADERVM, Profeſſorem Rintelienſem. Commendatur hic radix haec, inprimis in morbis a nimio acido et putredine oriundis. Hypochondriacis, arthriticis et podagricis inſultibus, variis mulierum morbis, e. g. leucorrhoeae conducit, quin imo gangraenae et ſphacelo inſeruire eam ſuſpicatur. p. 164.

4) *Circa vias regias plantare* ſuadet Paſtor anonymus *Platanum* (*Acer Platanoides* LINN.) et *Fraxinum*. p. 178.

5) *Canis Hyaenae* LINN. *deſcriptio et icon.* Synonymia et homonymia huius animalis docte et eleganter exponitur, aliaque ad eius hiſtoriam facientia narrantur. p. 186.

Pars III. 1) IO. SAM. SCHROETERI *catalogus cochlearum terreſtrium, quae circa Wismarium et praeſertim Thangelſtaedt inueniuntur.* Enumerantur
p. 229. hic curate cum plurimis eius varietatibus *Helices lapicida, pomatia, nemoralis*, et alia, vt et *Turbinis* ſpecies quaedam. Comparantur cum iis deſcriptionibus, quae in alio Berolinenſi diario, *Berliniſches Magazin* dicto, datae ſunt a Cl. MARTINI, cuius et notae ſubiectae eſſe videntur.

p. 249. 2) EIVSDEM diſquiſitio, *num, et quomodo perfectum Syſtema naturae ſperare liceat.* Quae impediant primum, tum rationem, haec impedimenta remouendi, atque finem optatum aſſequendi docte et eleganter exponit. Recte lites perſonales, quas dicunt, improbantur, obſeruandique ſtudium, praemiis excitandum vbique commendatur. At, proh dolor! quid iuuant et optima conſilia, cum plurima negligi ſoleant.

p. 272. 3) *Collectio remediorum nouorum.* Virtus medica magnetis artificialis in doloribus dentium, nervorum debilitate, oculorum morbis. *) Alumini quoque hic vis contra rheumatiſmos adſcribitur.

p. 285. Extractum ſaturni ſedat haemorrhagias e. g. poſt dentis eruptionem.

p. 288. Effectus ſtrobilorum pini ruſſicae (*Sapin*). In infuſo theiformi adhibentur gemmae pini et commendantur in ſcorbuto, pulmonum vlceribus, inueterata tuſſi, febre lenta, haemoptyſi, ſenſuum hebetudine, hyſterico malo, pectoris et abdominis doloribus, ſabulo renum, apoplexia et paralyſi. Inprimis cephalicam vim roborantem ineſſe ei dicunt.

p. 317. 5) *De ratione arua colendi Coſacorum circa Danubium relatio.* Humus haec fertiliſſima, combuſtis

*) vid. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 102.

ſis plantis praeteriti anni, aratur, ſeminaque tunc ſata laetiſſime pronaſcuntur.

6. 7. 8. In Moſcauia *Chamaeropem* eodem, quo Berolini, modo *foecundatam eſſe; Caſtorem moſchatum* circa Danubii oras reperiri, materiamque ſebaceam, zibetho ſimilem eſſe; atque nouum talpae ſimile animal, in Tataria boreali viuere, quod haud dubie *Sphalax**) eſt, breuiter enarratur. p. 319.

1) *Papilionum Arionis, Argi, Argioli, et Rubi,* LINN. *ſpecies varietatesque* deſcribit curate IO. SAM. SCHROETER. Pars IV p. 341.

2) *De ſingulari lethargo.* Ille ita continuabat, vt per viginti et quatuor horas duraret. Variis medicamentis fruſtra tentatis, aegra obtegebatur tepidis cineribus et caput ſaccis, cineribus impletis. Tum oedema faciei accedebat. Paullo poſt continuabatur his cineribus, qui humidi erant facti, et aegram ſemper excitabant ſanitatemque plenam ei reddebant. Hac occaſione optat Auctor, vt plura remedia externe adhibeantur, quae bonum effectum haud dubie edent, et e. g. laudat acetum, externe in epithematibus per totum corpus adhibitum, in puerpera, lochia adeo foetida habente, vt nec acida mineralia, nec alia antiputrida medicamenta eum foetorem ita bene corrigere valerent. p. 353.

3) *De Gymnoto electrico breuis relatio*, a Cl. SCHILLING, M. D. miſſa, qui experimenta ipſe in Surinamo inſtituit. Inter quae magnetica huius piſcis vis **) confirmatur, referturque, aethiopes credere, mederi hunc piſcem elephantiaſi. p. 362.

4) Ill.

*) v. comm. ſupra p. 5.

**) v. comm. noſt. Vol. XIX. p. 687.

p. 367. 4) Ill. GLEDITSCHII *de tertia vice feliciter ſucceſſa foecundatione Chamaeropis humilis relatio, additis quibusdam obſeruationibus ſuper foecundatione plantarum.* *)

p. 384. 5) *De vrinae effluxu per vmbilicum.* Vir 60. annorum calculoſis laborabat affectibus et varios quoque calculos per vrethram eiecit. Lotio dein non amplius, vti ſolet, effluente viaque hac per calculos clauſa, retentioneque vrinae per aliquot dies paſſa, illa per vmbilicum ita, vti per vrethram unó tenore exibat, relicto tamen conatu crebro mingendi. Lotium colorem et odorem, vti ſolet, prae ſe ferebat.

Exemplum *de calculo ſublinguali*, qui viuo aegro exemtus eſt ita, vt aeger ſanitati reſtitueretur.

p. 386. Deſcribitur porro hic nouum inſtrumentum venaeſectioni inſtituendae aptum. Differt ab hactenus ſolitis inſtrumentis in eo, quod lanceolae inſtar formata eſt acies lateralis incidens, ſponte ſeſe retrahit, nec facile frangi poteſt, et tota huius inſtrumenti applicatio eſt minus doloroſa.

p. 392. *De inoculatione morbillorum.* **)

p. 400. 6) Ex *collectis notabilioribus oeconomicis* notemus *rationem Muſtelam Putorium capeſſendi*, quam Ill. KAESTNERVS retulit olim expertam eſſe. Nempe cum culter cote teritur, ex ſpeluncis vel aſylis Putorius prolicitur, nihil metuit, et ita necari poteſt.

p. 407. 7) *Peculiaris quaedam ſalicinorum ramorum iuniorum degeneratio, in vetuſtis arboribus*, a IO. SAM. SCHROETERO. Diſciſſis vere ramis, autumno pronaſcebantur iuniores rami, furcati, in quorum altera

*) vid. comm. noſt. Vol. XIX. p. 687.

**) vid. ib. p. 271.

altera parte ramuli floriferi, quos flores *Artemisiae vulgaris* similes dicit, circiter viginti quatuor erant, qui in vna arbore fastigiati, in alia contorti essent. Inquirit copiose in causas huius mutationis, et copioso vitiatoque succo nutritio eam effectam esse putat.

3) *De Vespertilionibus Vampyro, Spectro* LINN. et *hastato* PALL. Auctor Cl. putat *Vespertilionem soricinum* PALL. esse LINNAEI *Spectrum.* Dentes variare quoque confirmatur, aliaque ex BUFFONIO, SEBA, et aliis de horum animalium natura iconesque *Vampyri* et *Spectri* traduntur:

1) *De taenia.* Digestiuis ex sale Anglico et cremore tartari et purgantibus e resina ialappae et mercurio dulci immissis, praeterea enematibus ex rhabarbari et colocynthidis extracto adhibitis, taeniae partes expulsae sunt. Dein artificialis aqua minera- Pars V. p. 454.
lis, quae constat ex aquae fontanae mensuris duabus; solut. mart c. sp. vitriol. gt. xxx; ol tart. per deliq. ʒij; spir. vitriol. gt. xx. a Nostro feliciter est propinata, ac quidem cum digestiuo superiori quotidie duae drachmae eiusdem aquae mineralis. Ita taeniam nonaginta vlnarum subinde expulit intra tres menses. Experimenta cum partibus taeniae facta monstrant, feruidam aquam, acres tincturas et puluerес, quibus primo intuitu nigrae apparent et mortuae videntur, non sufficere ad impediendum, quo minus in iis lacte calido nouus motus vitae producantur.

2) *E litteris, de arbore, ipsa hieme florente, excerptum.* Mali arbor, quae ianuario transplantata esset, casu in incremento et floreſcentia consueti temporis impediebatur; cum vero postea creſceret, sub initium frigoris florere incepit. p. 465.

3) Ex

p. 471. 3) Ex notatu dignis phyſicis rebus deligamus Cl. HELL obſeruationem, qua lucem marinam a materia quadam, quae ab inſectis marinis decidat, oriri vidit. Cl. BARTALONI aſſerere hominem fuiſſe, qui ſuper mare ſimiliter, ac interra ire poſſet.

p. 474. De polyphagis et allotriophagis. Inter alios et Wittebergenſis *) hic occurrit.

p. 495. 4) *Breuis inſtitutio, quomodo ruricolae et omnino ii, qui medico deſtituti ſunt, variolis graſſantibus ſeſe gerant, data 1768. iuſſu Regis Boruſſorum Potentiſſimi a Collegio Medico.*

p. 514. 5) *Excerptum ex tractatu* Cl. IO. HENR. HAGEN *de excreſcentiis ſalicum*, quae a *Cynipe Salicis ſtrobili* LINN. efficiuntur. Earum figura, color, varietates, et origo docte et eleganter deſcribuntur.

Pars VI p. 565. 1) *De ſpina ventoſa obſeruatio* hic inſerta a Cl. IO. GEORG. SCHENKBECHER, M. D. Hunc caſum iam alio tempore communicauimus occaſione libri **) a nobis commemorati.

p. 578. 2) Ad *oeconomica et phyſica noua* pertinet 1. deſcriptio machinae, ad arandum ſerendumque aptae. 2. Noua *Solidagine Canadenſi* res luteo colore tingendi ratio.

p. 591. 3) *Sciuri* hiſtoria naturalis, vbi natura, mores, patria, ſpecies auctorumque nomina docte traduntur, delineaturque *Sciurus Palmarum* LINN.

8) De

*) GEORG. RVDOLPH BOEHMER de polyphago Wittebergenſi. Witteb. 1767. 4.

**) EIVSD. *Bericht von den heilſamen Wirkungen der* Kinkina *etc. Riegau und Mietau* 1769. 8. p. 72. v. comm. noſtr. ſecund. Decad. Supplem. II. p. 266.

8) *De Asclepiadis Syriacae* LINN. *cultura, vsu,* p. 634.
et lucro, qui ex serico eiusdem sequitur. Radice optime propagatur, solum molle, humidum sine fimo praeditum amat. Radices iuniores sunt decerpendae. Augusto maturae capsulae serico plenae, sunt discindendae, et vmbroso in loco siccandae.

XVII.

Introduction à l'étude des corps naturels, tirés du regne minéral. Par M. BUCQUET, Docteur Régent de la Faculté de Medecine de Paris. Tome I. à Paris, chez Jean Th. Herissant, Père. MDCCLXXI. 12. pagg. 493. planch. 3. Tome II. ibid. eod. 12. pagg. 404.

i. e.

Elementa mineralogica, Auctore Cl. BUCQUET, M. D. Tom. I et II.

Chemiam atque historiam minerarum naturalem arcte inter se connexas esse debere, si rite de iis iudicare easque cognoscere quis velit, recte affirmat Cl. Auctor, neque vult hunc librum nouum systema haberi, sed tantum compendii instar, quod auditores legant, inseruire debere. Hinc tractatio plerumque satis bona est, in qua generum partes constitutiuas exponit, species deinde enumerat communes, omissis tamen pluribus ab aliis dictis, easque cum suis, tum LINNAEI, WALLERII et DE BOMARE nominibus appellat, breuiter, hinc saepe obscure, describit, et plerumque locum minerae natiuum indicat. Bene vtitur experimentis recentiorum Auctorum, eosque nominat, neglecta tamen curata libri citatione: raro sua quaedam habet.

Diuiſio omnium minerarum in ſeptem claſſes, Terras, Lapides, Sulphur, Salia, Semimetalla, Metalla et Bitumina, nobis neque cum principiis chemicis conuenire, neque certis horum corporum qualitatibus niti videtur. Terras enim et Lapides ſolo arctiori nexu, nullis limitibus definiendo, differre; Sulphuris baſin ſalinam id cum ſalibus connectere; ſemimetalla a metallis nullo eſſentiali charactere differre, palam eſt, et ipſe Auctor hinc inde indicare videtur. Hinc etiam patet, cur ordines terrarum et lapidum fere iidem ſint, nempe vitrea, calcarea, argillacea, et compoſitae terrae ſ. ſaxa. Semimetalla in fragilia, Arſenicum, Cobalcum, Wismutum, Stibium, Niccolum, et minus fragilia, Zincum et Hydrargyrum partitur. Metalla in imperfecta, et perfecta. Diuiſio ſane, quae non ex eſſentia, ſed vſu et accidentibus qualitatibus metallorum deſumta eſt. Addit in ſupplementis primo corpora igne producta, vt Lithanthraces, Pumicem, Lauas, cet.; et in altero aquas minerales, quas dicit tophaceas, ſulphureas, ſalinas, metallicas et bituminoſas.

Tom. I. Pauca, quae ſpeciatim excerpamus, reperimus.

p. 6. In introitu modum chemice corpora mineralia diſquirendi, auxilia et inſtrumenta naturalia et artificialia, affinitates corporum, operationesque che-

p. 46. micas copioſe exponit. Materiam luminis ab ignea

p. 56. diuerſam; phlogiſticam vero et igneam easdem putat.

p. 60. Non ſumme neceſſarium eſſe aërem ad combuſtionem corporum ARCETI experimenta probant,

p. 62. qui metalla vaſis clauſis in calcem vitrumque fudit. Correxit Cl. ROVELLE machinam HALESII, quantitatem aeris, quam analyſis corporis cuiusdam dat, determinandi: hanc Auctor deſcribit.

p. 65. LAVOISIER probauit, aquam non eſſe terreis parti-

particulis compoſitam, experimento, quo aqua per centum et vnum dies deſtillata, nullum aliud ſedimentum terreum praebuerat, quam quod a vaſe diſſolutum eſſet. Inſtrumenta grauitatem aquae menſurantia, vbi ea, quae Cl. BAUME' et PARCIEUX inuenerunt, laudantur. p. 69.

De origine montium BUFFONII ſententiam defendit. Lapidum enumeratio interdum nimis ſicca eſt. *Zoolithum Turcoſam* LINN. ſub Calce conchacea recenſet, eumque etiam ex aliis oſſibus fieri demonſtrat exemplo manus femineae, cuius vltimae phalanges in Turcoſam ſint mutatae, in cuius baſi carnis ſiccatae veſtigia reſtent: hanc in muſeo regis reperiri. Marga minus recte definitur, miſcela cretae et argillae: adſit enim oportet arena, vti dicit WALLERIVS, ad quem Auctor prouocat. Margae Gallicae color demitur, ſi aceto vini, vel acido citri maceretur. Argillas compoſitas dicit ex terra, arenae quarzoſae analoga, quae acido vitriolico quaſi in ſal, terra abundans mutata ſit. Baſin argillae et aluminis cum terra ſilicum fundamentali eandem cenſet. p. 81. p. 107. p. 110. p. 114. p. 124.

Ad ſilicem refert, *Iaſpidem variegatum viridem*, *Achatisque* plures ſpecies et *Onychem* WALLERII. Quamquam generatim cum ARCETO aſſeruerit, lapides vitreos non ſolos fundi, neque exceperit alios, niſi coloratos; tamen poſtea terram ſiliceam eſſe fuſibilem cum MACQUERO affirmat. p. 150. p. 159.

Igne forſan ſolo gemmas recte definiri poſſe ait; cum reliqua ſigna ſint inſufficientia: eas ratione coloris diuidit. *Adamantem* ſolum volatilem fieri credit, quo puriorem, eo facilius fundi; Braſilienſem fundi in vitrum, omnibus aliis lapidibus durius, atque manere Adamantem. *Smaragdum* igne colorem perdere, contra WALLERIVM, ARCETI p. 168. p. 169. p. 176.

p. 192. experimentis niſus affirmat: Conchylia aliaque corpora marina multum origini lapidum calcareorum tribuiſſe ait. Iterum huc petrefacta perperam
p. 211. refert. Marmor a Calcario diſtinguit. Tophum ſub lapide calcareo recte recenſet; et tamen dicit continere eum parum *argillae*, eſſeque margam
p. 220 lapideam. *Lapidem nephriticum* ad chalybem ſcintillas emittere, igne flaueſcere et duriorem fieri.
p. 224. Ad *Steatitem* Molybdaenam refert. Generatim putat in fuſione multum iuuare materiam coloran-
p. 235. tem lapidum. *Zeolitem* argillaceis propter leuitatem ſubiicit. Hic igne finditur atque cruſta vitrea inductus eſſe videtur; non vero funditur. Non ſolus Zeolites, ſi acidum vitriolicum ei affunditur, indureſcit, verum etiam Arſenicum. Acido minerali quocunque, non adeo forti, in gelatinam albam, tranſparentem mutatur, vti toſtus lapis lazuli et haematites.

p. 238. Saxa eſſe ait, *Petroſilicem*, WALL. qui fundatur, atque ita prorſus a Iaſpide differat, *Spatum ſcintillans*, *Corneum Trapezium* WALL. *Lazuli*, prorſus a Zeolite diuerſum, *Corneum Cruſtalliſatum* WALL. (*Schirl.*) *Porphyra* et *Granitem*.

p. 254. De *Salibus* ſatis copioſe ita agit, vt eorum originem, combinationem cum aliis corporibus et analyſin vſumque doceat. Cur tota claſſe Sulphur a ſalibus diſiungat, quae genere tantum differunt, et acidum ſulphureum ſeparatim a ſulphure iterum conſideret; cum tamen ipſe easdem partes conſtitutiuas iis tribuat, vitrioli nempe ſal et phlogi-
p. 280. ſton, non intelligimus. Cauſticam vim *acidi vitriolici* pendere opinatur a ſtatu elementi terrei,
p. 313. quod in eo reperiatur. *Natri*, quod LINNAEVS et WALLERIVS e diuerſitate locorum diſtinxe-
p. 318. runt, vnam ſpeciem facit. *Boracem* ſpeciem ſalis alcalini

alcalini facit, quae e sale sedatiuo et alcali marino composita sit. Arte facta etiam salia recensет, vbi et eorum praeparationis mentionem facit. Cum de decompositione salis ammoniaci, quae fiat addendo calcem, agit; sententiae Cl. DU HAMEL assenti- p. 406.
tur, qua calcem dicit, priuare alcali materia pingui, quae illi sit essentialis, idque agere ex vi eius salina. Repugnat vero MACBRIDIO, qui alcali aere fixo priuatum a calce existimat: neque enim certum esse, quod aer solus eleuetur coniunctione acidi cum alcalino sale, at vero materiam pinguem eodem tempore separari: quae, si MACBRIDIVS recte sentiret, euenire non deberent.

Denique salia neutra imperfecta terrea pertra- p. 414.
ctat, vt Vitriolum, Nitrum, Sal arenosa, Vitriolum cretaceum vel *Seleniten* s. *Gypsum* WALL. (quod profecto aptius sub classe lapidum consideratur), huius etiam phosphorescentiam notam memorat, putatque eam pendere a vera et continuata sulphu- p. 424.
ris combustione, quae flammae faueat, atque ex copia materiae non inflammabilis lenta sit: Quae Cl. DU FAY opposuit, refutat. Deinde huc refert Nitrum et Sal, cretacea; Alumen, Nitrum et Sal, argillacea.

Cum neque ductilitatis defectu, neque volatili- Tom. II
tate semimetalla a metallis distingui certe possint, p. 3.
vt ipse Auctor fatetur: patet, ea esse coniungenda. Substantias mineralisantes etiam habet arsenicum et substantias salinas, quum soli sulphuri minerali-satio tribuenda videatur. *) Quae indicent metallorum in montibus praesentiam, fodinarum fossionem, atque dispositionem, originem metallorum, quae quotidie formari asserit exhalatione fodinarum, docimasiam atque metallurgiam breuem exponit.

*) cf. supra p. 254 sq.

p. 77. Tum de Semimetallis vulgo dictis et Metallis agit, eodem quo in priori tomo de Salibus, modo, indicatis simul et ratione ea parandi, et pluribus exinde paratis
p. 28. compositionibus pharmaceuticis. Niccolum cum CRONSTAEDTIO *) proprium metalli genus
p. 135. habet, ad zincum refert *Molybdaenam*, cuius aliam speciem supra ad lapides Steatiticos retulerat. Multa
p. 163 de Hydrargyro bona, at nota. Mercurii sublimati corrosiui pluriumque aliorum salium metallicorum saporem multo fortiorem esse, quam acidorum, quae eorum basis sint, notum est. Id pendere ait ab eo, quod substantia metallica, imperfecte cum acido iuncta, augeat particulis suis terrestribus attractionem, cui sapor acris, venenatus sit tribuendus.
p. 201. Si acido nitri stannum dissolui quis velit, pauca admodum metalli copia in acido, aqua multum mitigato, est ponendum, neque prius plus metalli addendum, quam immissum plane solutum sit. Interim et sic facillime plumbum calcinari. *Ferrum*
p. 209. *natiuum* cum MARGGRAFFIO assumit. Ad ferrum refert Sulphur, Arsenicum et Vitriolum, mar-
p. 234. te mineralisata. Vitriolum martis ita nasci, si phlogiston ferri et aqua, quae, si sola separataque essent, non soluerent, coniuncta mineram sulphuris decomponant ita, vt acidum vitrioli aqua liberum factum, in metallum agat illudque in vitriolum mutet. Ita plurimam Vitrioli martialis, quod venditur, obtineri partem. Goslardii ex vili mine-
p. 315. rali, quod *fumus cupri* appelletur, illud parari. Aurum mineralisatum negat; at inscius fuit minerae Auri Nayayensis.
p. 332. Platina omnium difficillime funditur. MACQUERO et BAUMÉ contigit, vt sub speculo caustico viderent metallum primo fumum, tum scintillas

*) cf. KAIM diss. de metallis dubiis comm. nost. Vol. XIX. p. 148.

tillas emittere, tandemque partem, quae in ipſo foco erat, fundi: hanc poſtea fuiſſe ductilem: ſub cupella fundi, et pondere imminui. Plerumque Platina impura eſt. Hepar ſulphuris in illam agit. Aqua regia, cum ſale ammoniaco parata, Platina volatilis fit: praecipitatur ſale ammoniaco et aliis metallis, ſi in aqua regia ſoluta eſt. Coniungi poteſt fere cum omnibus metallis, vti Cl. LEWIS oſtendit.

Inter bitumina recenſet etiam Ambram griſeam, quam animalis originis alii dicunt *). *Pumicem* formari exiſtimat ex materiis terreis et lapideis, quae dimidiam quaſi fuſionem paſſae ſint. p. 348.

XVIII.

Elémens de Mineralogie docimaſtique, par M. SAGE, de l'Academie Royale des Sciences. à Paris, Chez P. de Lormel. MDCCLXXII. planch. 18¾. 8.

i. e.

Elementa Mineralogiae docimaſticae, Auctore Cl. SAGE.

Tradimus Lectoribus librum rerum grauitate et nouitate inſignem, in quo Cl. Auctor ſermone vtitur facili, breui et eleganti, ſententiasque copioſis iisdemque curioſis experimentis firmat: interdum quidem eius ſententiae nondum omni dubitatione maiores nobis viſae ſunt. Si quid, quod ad perfectionem libri faceret, deeſſe videtur: id in neglectis prorſus aliorum Auctorum, hac in ſcientiae naturalis parte clarorum denominationibus corporum mineralium, nimisque interdum breuibus characterum externorum deſcriptionibus animaduertitur.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. P. I. p. 33.

Partitur Auctor librum in tres partes. Quarum prior de ſalibus acidis, quae quinque ſtatuit, nempe ſal vitriolicum, ſulphureum, nitroſum, marinum et phoſphoreum; ſalibus alcalinis, neutris, et bituminibus agit: ſecunda complectitur terras molles et induratas ſ. lapides; hicque demonſtrat Auctor vnam terram primitiuam, *abſorbentem:* reliquas ſalia eſſe. Metalla tertia enumerat: in qua probari dicitur non arſenicum et ſulphur ſola, verum etiam acidum marinum, alcali volatile et materiam pinguem, ex acido volatili decompoſito natam, ſubſtantias metallicas in mineras mutare. Addita eſt ſub finem breuis de modo aquas minerales tentandi tractatio, et tabula ſynoptica, in qua corpora mineraliſantia, cum metallis, quae illis mutentur in mineras, deſignantur characteribus chemicis.

p. 1. *Acidum vitriolicum* puriſſimum habetur ab Auctore primitiuum, quod cum phlogiſto combinatum reliqua acida mineralia formet, atque cum plurimis ſubſtantiis facile nectatur. Natura igitur cuncta acida eadem eſſe; odore, colore, a phlogiſto pendente, et grauitate a concentra-
p. 2. tione acidi effecta, differre. *Acidum nitroſum* fieri, cum vitriolicum iungatur phlogiſto eorum corporum, quae incipiant putrefcere, gypſi decompoſitione intelligi ait. *Marinum* vero, cum idem vitriolicum acidum combinetur cum phlogiſto ſ. principio odoris corporum putridorum, naſci, probat experimento, quo ſolutio cupri, facta per alcali volatile ſalis ammoniaci, aeri expoſita, ſpatio quatuor menſium decomponebatur: tumque phlogiſton alcali volatilis combinatum cum acido vitriolico aeris, acidum marinum conſtituebat: materia pinguis alcali volatilis vnita cupro, malachitem formabat: et acidum marinum iunctum alcali fixo

criſtal-

cryſtallorum cubicarum forma fundum petebat.
Acidum phoſphoreum eſſe marinum mutatum circu- p. 4.
latione in corporibus animalium carniuororum;
admodum frequens inueniri in regno minerali, vt
borace, ſpato calcareo, fuſibili et baſalte; odore
coloreque carere, concentratum duplo grauius eſſe
vitriolico, minus reliquis acidis rodere, et duabus
aquae partibus ſaltim iungi.
Alcalia mineralia acido, quod phoſphoreo ana- p. 5.
logum ſit, et terra abſorbente componi. *Natrum*
parua materiae oleoſae, quae illi, in aqua marina
inueniendae, ſimilis ſit, copia ab alcali tartari dif-
ferre probat. *Alcali volatile*, maiori materiae oleo-
ſae copia et nexu cum phlogiſto, a fixo diſtin- p. 7.
guitur.
Salia neutra dicit corpora, quae ex vnione
acidi cuiuscunque cum phlogiſto, alcali fixo, vola-
tili, terris abſorbentibus metallicisque ſubſtantiis
naſcantur. Terrarum et metallorum, quae cum
acidis ſolubilia in aqua fiunt, ſolutione euaporata,
particulae ſalinae ſecum vnitae cryſtallos formant.
In omnibus his ſalibus etiam continetur materia
pinguis, cui debeant inſolubilitatem. *Sulphu-* p. 11.
ris florum, limaturae ferri et aquae partes aequales
breui inflammari; ſicque ſulphur decomponi ait.
Idem acido nitri decomponitur. Sal ammoniacum, p. 13.
vitriolicum, et ſulphureum, quae in eruptione ſol-
fatarae inuenit. *Alumen plumoſum* eſt vitriolum
martiale, asbeſto forma tantum ſimile; diſſimile,
quod aqua ſoluatur, igneque et aere colorem amit-
tat album. *Salia nitroſa* plurima ſunt deliqueſcen- p. 18.
tia, praeter ea, quae ex vnione cum alcali fixo
naſcuntur. *Nitri* vis fulminans pendet ab aqua
cryſtalliſationis. Acidum nitri decomponit ſe ip-
ſum, quando phlogiſto ſulphuris vnitur. *Salis* p. 21.
culinaris ſpecies facit *ſal ammoniacum*, quod tamen

alcali volatili differt, et *ſal marinum terreum*, acido marino et terra abſorbente compoſitum, quod in lixiuio gypſi inueniatur: denique *metalla ſpatoſa*, acido marino, ſubſtantiae metallicae, atque materiae
p. 22. pingui iuncto, orta. *Boracem*, arte tantum fieri, et componi acidi phoſphorei et alcali ſodae partibus aequalibus. Paratur ex miſcela adipis porcinae, materiarum, quae facile putreſcant, et paruorum ſilicum: qua ſub terra foſſa, illicque per quinque menſes repoſita, cryſtalli boracis inueniantur. Hae cryſtalli forma variant, plerumque hexaedrae ſunt. Flammae color viridis, qui addito ad ſal ſedatiuum accenſoque ſpiritu vini oritur, productus dicitur ab acido phoſphoreo, quod phlogiſto ſpiritu vini iunctum, phoſphorum conſtituat, flammamque flauam efficiat, quae cum flamma coerulea ſpiritus vini mixta, viridi colori originem det.
p. 25. *Bitumina*, quae ſuper aqua natant, deſtillatione dant oleum graue; ea contra, quae fundum petunt, producunt oleum leue. Lithanthraces omnes,
p. 26. qui ſunt terrae, oleo bituminoſo penetratae ſulphur, alcali volatili iunctum, continent. Torrendi ſunt prius lithanthraces, quam ad vſum in metallurgia adhiberi poſſint. Nunquam Auctor acidum, neque ſal ſuccini inuenit, vt IVNKERVS et WALLERIVS ſe inueniſſe affirmant. Lithanthracem vitriolicum, qui interdum viridis ſit, vt *Smaragdus aquamarina*, formaturque ex cryſtallis
p. 31. vitrioli martialis, commemorat. *Naphtha* Noſtro a *petroleo* orta, eiusque rectificatio naturalis videtur.
p. 33. *Aſphaltum* nihil producit ſalis acidi: praeſentia acidi ſalis ſuccinum a reliquis bituminibus differt: nigri
p. 35. mentionem nullam facit. Quamuis *ambra griſea*, in cetis reperiatur; cum tamen colore et odore tunc mutata ſit, de ea hic agit. Deſtillatione inde producitur aqua acida, oleum nigreſcens, graue, odorum.

Vncia

Vncia dimidia eiusdem post destillationem in retorta reliquit carbonis leuis viginti grana.

Terram igitur vnam *absorbentem*, primitiuam assumit, quae reliquis omnibus, vt et substantiis animalibus et vegetabilibus originem det. Eam non puram in minerali regno inueniri. Simplicissimam ex ossibus animalium saepius calcinatis atque aqua elixiuatis obtineri. Hanc igne non mutari in vitrum: sed velociter aquam attrahere. p. 37.

Terra calcarea est composita ex acido phosphoreo et maiori parte terrae absorbentis: producta ex substantiis animalibus decompositis. Calcarii soliditas pendet a crystallisatione quadam, quam *confusam* dicit: quam vt terra calcarea subire possit, actionem ignis experiatur, quo partem materiae pinguis amittat atque solubilis in aqua fiat. *Spati calcarei* crystalli vel rhombeae vel pyramidales sunt, nunquam cubicae. *Lapidis suilli* odor a petroleo quod ei sit mixtum, pendet; foramen, quod in pluribus *Stalactitis* obseruatur, seruiisse transitui aeris. p. 39. p. 42. p. 46. p. 50. p. 52.

Acido addito nata efferuescentia terram absorbentem tantum mutat, sale phosphoreo nihil mutato. Calcinatione primo aqua crystallisationis amittitur, vnde decrepitatio pendet; deinde acidum phosphoreum iunctum phlogisto, phosphorum format, foetorem spargentem. p. 54.

Fluorem mineralem WALL. dicit Auctor *spatum fusibile*, idque ex saturata terra absorbente acido phosphoreo nasci: crystalli, species constituentes, variant: pertinet huc lapis Bononiensis. p. 58.

Terram porcellanam, quam *Kaolin* dicit, produci si terra calcarea acido vitriolico saturetur. Si destilletur haec terra cum acido vitrioli, primo transire paruam acidi sulphurei partem, postea vitriolici: residuum euaporatum alumen praebere. p. 63.

Esse

Eſſe eam optimum intermedium, quo nitrum de-
p. 64. componatur. *Aſbeſtum* et *Amiantum* eiusdem cum terra porcellana eſſe naturae. Quam etiam *Micae* tribui debere, ex productis et vſu eorundem patere videtur. *Lapidis ollaris* ſunt eaedem proprietates cum terra porcellana: differt tamen vnctuo-
p. 71. ſitate, colore et ſubtilitate molecularum. *Talcum* eſt lapis ollaris, partibus ſolutis.

p. 75. *Argilla* maiori tantum copia materiae pinguis a terra porcellana differt. *Tripela* eſt argilla, quae vnctuoſam materiam amiſit.

p. 77. *Schiſtum* compoſitum putat argilla, ferro et alcali volatili. Vnciae quatuor ſchiſti, furno reuerberatorio deſtillatae, granum alcali volatilis, quod cum acidis efferueſceret, produxerunt: eius, quod remanebat, colore vix mutato. Cum acido vitriolico deſtillatus eadem, quae terra porcellana, argilla, cet. deſtillatis, eueniunt phaenomena: ita tamen vt in reſiduo ſit etiam vitriolum martiale. Etiam ſchiſto nitrum decomponitur.

p. 82. *Gypſum* eſt ſal neutrum, acido vitriolico et terra abſorbente compoſitum: quod cryſtallis variat
p. 85. rhomboideis, cuneiformibus, lenticularibus. In argilla, griſea, gypſeas cryſtallos inuenit, prismaticas, hexaedras, planis compreſſis duobus latis, rhomboideis. Prismata erant vtrinque oblique truncata, pyramides obtuſae, tetraedrae, planis trapeziis.

p. 88. *Quarzum* dicitur ſal neutrum acido vitriolico, atque terra abſorbenti, quae mutatione ſingulari alcali fixi naturam induerit, compoſitum. Non funditur, niſi aliud fuſibile corpus addatur. Decomponitur terra calcarea calcinata: acidum enim phoſphoreum calcis, iungitur baſi alcalinae quarzi, ac producit baſaltem; acidum vitriolicum quarzi

nectitur

nectitur terrae absorbenti calci formatque gypsum, iuncto fluore minerali cum quarzo fusio ideo sequitur, quod acidum phosphoreum fluoris mineralis, cum alcali quarzi iunctum, sal formet fusibile. Amethysti color cobalto, quod cum acido ma- p. 92.
rino iunctum est, debetur. Nomine *Silicis* Corneos p. 96.
WALLERII comprehendit, quos a quarzo forma solum differre putat. Dendritas, in *Achatis* repe- p. 101.
riundos, oriri a terra martiali, eosque nigros fieri calcinatione. Nuces inuentas esse, quarum nucleus in achatem mutatus fuerit, epidermis vero vegetabilem retinuerit naturam.

Granitem dicit saxum silice vel glarea congluti- p. 105.
natum, cuius interstitia sint repleta *materia eiusdem naturae:* quae quidem definitio obscura et falsa videtur, ipsiusque Auctoris definitionibus specierum repugnans, cum in specie *Granite* recte dicat, eam quarzo (melius spato scintillante dicitur, quem ab Auctore neglectum plane videmus), mica, et basalte nigro componi. Refert quoque huc *Porphyra* et *Ophitem.*

Zeolites compositus Auctori videtur terra cal- p. 108.
carea et quarzo. Non feruet cum acidis; at in gelatinam ab iis mutatur: fusus dat vitrum opacum, cellulare: duabus zeolitis partibus nitri pars vna soluitur. Rubri zeolitis color a ferro est. Quadringenta grana zeolitis cum oleo vitrioli destillata, transgresso acido sulphuris et oleo vitrioli, reliquerunt massam rubram, quae octoginta granis grauior esset: haec elixiuata vitriolum martiale, atque paruam aluminis copiam dabat. Lapidem p. 110.
lazuli ad Zeolitem refert. A ferro colorem accipere: at materiem, quae ferro hunc colorem coeruleum tribuat, cum acidis soluatur, diuersam esse ab ea, qua coeruleum Berolinense tingatur.

Sub

p. 111. Sub *Baſalte*, quorſum Germanorum *Schirl* et *Schorl* pertinet, intelligit ſal neutrum compoſitum ex acido phoſphoreo cum alcali tali, quale baſin quarzi conſtituebat, combinatum, quod fere ſemper terras metallicas contineat. Prismaticas eius cryſtallos eſſe, magnitudine et numero planorum
p. 114. differre. Turmalinum dicit baſaltem, ſemitrans-
p. 122. parentem. Quatuordecim ſpecies deſcribit. Baſaltem non eſſe productum vulcanorum, probari putat ex pyrite cupreo et terra martiali flaua, in quadam eius ſpecie contentis, vtpote quae igne mutentur: at vero ex vna ſpecie non licet colligere
p. 123. ad ceteras omnes. Granati plurimi baſaltis proprietates habent, cryſtalliſatione et faciliori fuſione differunt.

p. 132. De Gemmis: quae eiusdem cum baſalte ſint indolis, minori tantum terrae metallicae copia praeditae. Adamantis cryſtalliſationem, quae vt plurimum eſt octaedra, a DENGESTROMO (cuius eſt verſio CRONSTAEDTII mineralogiae Anglica,) dici cubicam regularem, angulis truncatis refert: (vidimus eam conſtare duplici pyramide, triedra, planis conuexis.) Expoſitus ab Auctore igni adamas expandit vapores acres, lumine diſtincto, illum cingente, comitatos: quo tempore forma mutabatur breuique diſparuit. Quod ex coniunctione acidi phoſphorei, quod in adamante ſit, cum phlogiſto, atque eleuatione alcali fixi, quod baſis fuerit eiusdem, tempore deflagrationis declarat. Rubinus nullo igne mutatus ſolus eſt.

p. 134. Finit hanc partem de terris vegetabilibus, turfa et eruptionibus vulcanorum tractatio.

p. 145. Tertia parte ſubſtantiae metallicae conſiderantur.

Hic

Hic generis metallici characterem eodem fere, quo CRONSTAEDTIVS, modo dat, eius affinitatem ad alia metalla, et salia, et, quae iis mixtis eueniant, exponit. Terra ipsis propria et phlogisto compositas putat. Terrae colorem differre ab eo, qui sit metallo, cuius basin constituat. Fusae terrae vitrum dant, quod colore et a metallo et terra diuersum sit. Quae alias*) de substantiis quinque mineralisantibus asseruerat, hic vlterius confirmat. Metalla acido marino alcali volatili et materia pingui mineralisata tostione non egent. Docimasiae maiorem perfectionem recte vrget.

Non mutatur mercurius, vel repetitis destil- p. 149.
lationibus, neque illum calcinandi cognoscit Auctor rationem. Sulphure solo mineralisatur. Cinnabarem transparentem ex Ducatu Bipontino (*deux ponts*) possidet Noster, crystallis prismaticis triangulis, terminatis pyramide triangulari truncata, inter quas asphaltum purum et mercurius natiuus posita deprehendantur.

Arsenicum igne immutabile videtur Cl. Auctori. p. 153.
Nihil de eius principiis. In forma reguli metalla in mineras mutat: **) regulum minus venenatum esse, quam vitrum vel calcem arsenici. Quae ex cobalto obtinetur sublimatione calx arsenici, semper partem cobalti secum rapere experimentis probat. Acida antidota esse. Ipsum etiam arsenicum sulphure mineralisatum affert, *Realgar* dictum. p. 157.

Cobaltum in mineram mutari arsenico, tumque p. 160.
esse griseum nitens; vel acido marino, vnde diuersis coloribus praeditum fiat, qui igne virideſcant; vel interdum acido vitrioli, vel sulphure; nullam tamen speciem memorat, quae sulphure sit

*) Anno 1765 edidit, quae de his detexerit, singulari scripto.

**) cf. supra. p. 254. seq.

ſit mineraliſata. Vt regulus cobalti purus obtineatur, ſale ammoniaco ſaepius ſublimetur. Omnibus metallis fuſione iungitur, praeter wismutum.

p. 164. Niccolum etiam hic recenſet, compoſitumque dicit arſenico, cupro, ferro, et cobalto, huiusque

p. 168. maximam in eo eſſe partem. *) Cobaltum virido

p. 169. iaſpidis ſpeciem dicit. *Zincum* ſulphure et acido marino mineraliſari: magneſiamque eſſe zincum, acido marino mineraliſatum, et alibi monſtrauit, et nunc experimentis corroborat. *Zinco ſterili* ſ. *Pſeudogalenae* (*Blende*) ſulphur intermedio terrae abſorbentis iunctum eſſe; colorem eius a ferri copia pendere; aqua regali zincum in hac minera contentum ſolui; ex omnibus huius minerae ſpeciebus, cum ſale ammoniaco deſtillatis, remanere expertus eſt nigrum quid, quod magneſiae omnino eſſet ſimile: hinc ea Cl. Auctori videtur

p. 175. Pſeudogalena decompoſita. *Magneſiam* continere zincum, cobaltum, plumbum acidumque marinum: raro ferri et cupri aliquid. Vt acidum obtineatur, ſuper furno reuerbatorio in retorta, cui recipiens oleo tartari per deliquium inductum iungatur, eſt deſtillanda magneſia: tum in recipiente cryſtalli ſalis febrifugi interiores parietes tegunt, magneſia hoc tempore pondere minuitur, colore nigro remanente, qui cobalto cum acido marino iuncto debetur: ſi iam acido vitrioli haec magneſia deſtilletur, acidum marinum et ſulphureum ſeparatur: quod remanet, album eſt, et vitriolum zinci, cobalto mixtum, continet. Iam ſpecies varias magneſiae memorat, proportionemque partium conſtituentium: earum eſt ea, quae ex comitatu *Sommerfeld* obtinetur, acido marino maxime diues, atque igne funditur, continetque eius centenarius acidi marini libras 16, zinci 63, plumbi 12, cobalti

*) cf. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 148.

cobalti nouem. *Zinci Calaminaris*, quod etiam acido marino minera factum sit, viridem, crystallis pyramidalibus, speciem affert: hanc ad chalybem scintillare, acidis solui, cum iisque effervescere. Zincum Calaminare etiam materiam pinguem continere, quae inde cognoscatur, quod ferrum spatosum sine additione in vasis clausis reducatur. *Wismutum* mineralisatum inuenitur sulphure vel arsenico. Partemque semper in his mineris wismuti sub forma metallica esse putat: nam in crucibulum candens immissa minerae pars rumorem edit; nullum tamen pandit odorem, et wismutum guttarum forma prodit; super ignem posito crucibulo, sulphur et arsenicum separantur, atque hoc tempore wismutum calcinatur et vitrescit. Quae plura in igne, et ab acidis solutum experiatur wismutum, exponit. p. 181. p. 183.

Sulphure mineralisatur *Antimonium*, illudque semper esse in mineris sub forma regulina, aqua regali, quae sulphur praecipitat, addita monstrat; eamque dicit antimonii maxime proprium soluens esse, ac fluore nigro regulum antimonii purissimum obtineri. p. 188.

Cum cementatione *ferrum* in chalybem mutatur, acidi marini particulas illud penetrare, cum eo vniri, et particularum ferrearum formam mutare; igne autem acidum marinum iterum ab eo separari, atque particulas a phlogisto carbonum quidquam recipere; hinc fractura subtiliores densioresque videri chalybis particulas, quam ferri adhibiti. Auxilia praesentiam ferri in corporibus naturalibus cognoscendi. Ferrum, stanno vnitum, *album* dicit, eiusque ductilitas maior est. Effecta, quae vnionem ferri cum acidis sequantur. Ferrum mineralisatur sulphure, arsenico, et acido marino, vt *ferrum spatosum*, in quo etiam sit materia p. 193. p. 195.

p. 213. pinguis. Vt quantitatem ferri in diuerſis mineris contentam cognoſceret, vſus eſt fluore, qui calcis extinctae et quarzi partibus iisdem, cum carbonum octaua parte mixtis, paratus eſſet. Si reducere vellet metalla, partes duas fluoris et vnam minerae coniunxit.

p. 214. *Cuprum* mineraliſatur ſulphure, alcali volatili et materie pingui, ex alcali foluto producta. Arte addito alcali volatili cuprum lazureum (*purpureum* LINN.) vti quoque, ſi phlogiſton auolet, materia eius pingui malachitem parauit. Arſenico etiam cuprum mineraliſari in tabula ſub finem addita affirmat; in ipſa tamen tractatione ſpeciem illo mineraliſatam, non reperimus, niſi cuprum griſeum, in quo etiam eſt arſenicum, eo mineraliſatum ſubintelligat: at in eo certe arſenicum, vti aliud immixtum metallum, peregrinum eſt.

p. 230. *Plumbum* ſulphure et acido marino mineraliſari; illud prius calcinandum eſſe, quam metallum det, et in furno reuerberatorio Anglico torreri et reduci ſimul; hoc toſtione non egere: acido marino mineraliſatum eſſe et materiam quoque pinguem continere plumbum album, viride, nigrum, rubrum criſtalliſata.

p. 237. Exinde, quod *ſtannum*, ſi frangatur, crepitet, non puritatem eiusdem cognoſci, cum, mixto plumbo cum ſtanno, idem fiat. Semper acido
p. 241. marino mineraliſatum reperiri. *Molybdaena* videtur Noſtro ſtannum mutatum.

p. 244. Mineraliſatum inueniri argentum ſulphure, arſenico et ſulphure cum ferro, iisdem cum cupro, ſulphure cum plumbo, et acido marino.

Mineram *auri* Nagyagenſem etiam putat mineraliſatam et quidem arſenico. *)

Platinae

*) vid. comm. noſtr. dec. II. ſuppl. p. 252.

Platina continet saepe mercurium aurumque. Ex quatuor vnciis platinae recepit drachmam mercurii; residuum nigrum dabat viginti quatuor grana auri, atque magnete inde extraxit viginti quatuvr grana pulueris nigri, qui sale ammoniaco destillatus, flores martiales offerebat. p. 254.

XIX.

Ichthyologiae Lipsiensis specimen, Auctore NATHANAELE GODOFREDO LESKE, Philosophiae Doctore et Medicinae Baccalaureo. Lipsiae, apud Siegfried Lebrecht Crusium. MDCCLXXIV. 8. pagg. 84.

Operam dat Cl. Auctor in hoc libello, (cuius finis maxime is erat, quo studiosos huius Academiae ad audiendam historiae naturalis expositionem inuitaret,) vt ad piscium definitionem determinationemque, saepius dubiam, certiorem quidquam contribueret: ideoque vexatum et dubium *Cyprini* genus, cuius plures species fluuiis Lipsicis aluntur, delegit.

Praemissis itaque quibusdam, ex instituti ratione, de vtilitate historiae naturalis, quae in philosophum, theologum, iuris et artis medicae peritos redundat, generatim ostendit, quae in piscium definitione descriptioneque sint attendenda. Diuersitatesque quarundam partium, nondum ab aliis dictas, enumerat. Colores piscium, etsi interdum variantes, non omittendos, sed eorum gradus varios et commixtiones cum aliis coloribus indicandos iudicat, quod, qua ratione in descriptione piscium sequenti fecerit, exponit. Iridis partes plures distinguit *marginem pupillarem*, et *orbitalem*, *partemque mediam*. Vertebrarum numerum certum inuenit. Radiorum varietatem raram vidit. p. 3 p. 9. p. 11

p. 12. Non vero numerum eorum indicatum ſufficere; ſed colores, figuram, diſtantiam a ſe inuicem, pro-
p. 13. portionem, et alia eſſe indicanda iudicat. In lineae lateralis diuerſitates inquirens, eam, ratione ſtructurae, *punctatam* vel *lineolatam* in *Cyprino* vidit. Series ſquamarum easdem inueniens, eas numerare ſuadet. Atque haec quidem cuncta in deſcriptione, definitioni ſubiungenda, et plura, ab aliis, a GOÜANO Cl. praeſertim enarrata, ſunt indicanda: in charactere vero generico omnia ea, quae in omnibus ſpeciebus reperiuntur communia; in definitione ſpecifica figura, ſi breuiter deſcribi poteſt, color certus, maxime iridis, numerus radiorum et vertebrarum. Interdum addit Cl. Auctor longitudinem, et proportionem partium, e. g. maxillarum ad ſe inuicem.

p. 14. Iam generis characterem conſtituit: quem maxime cum GOÜANI charactere conuenire videmus, et Cl. Auctor fatetur; addit tamen, quam in omnibus ſpeciebus vidit radiorum eam proportionem, *qua primus et ſecundus radius pinnae analis et dorſalis ſemper admodum breues ſint, tertius ſemper longiſſimus, reliqui ſemper ſenſim minores, ramoſi.* Cum GOÜANVS nullos *Cyprino* dentes tribuat: Auctor *dentes* recte deſcribit, poſitos in oſſiculo arcuato, poſt fauces ſito. *Linguam*, non liberam, ſed gulae annatam; *Dorſum*, non rectum, ſed ſemper plus minuſue gibbum dicit.

Diuidit genus in ſpecies eas cum Cl. GRONOVIO, quae ſint 1. *barbatae*, ſ. *ad os cirroſae.* Huc
p. 17. pertinent 1. *Cyprinus Barbus*, oblongus, oliuaceus, cirris quatuor, maxilla ſuperiore longiore; iride bruno flaua; pinna ani radiis nouem, pinnae dorſi radio vtrinque ſerrato; cauda bifida; vertebris quadraginta ſex. 2. *Cyprinus Carpio*, ouali, cinereo coeruleſcens; cirris quatuor; iride cuprea;

pinna

pinna ani radiis nouem, pinnae dorsi anique radio tertio postice serrato; cauda bifida, vertebris triginta septem. Varietas eius *squamis maioribus* adiicitur. 3. *Cyprinus Gobio*, oblongus, subteres, p. 26.
maculosus; maxillis subaequalibus; cirris duobus; iride aurantio flaua; cauda bifida; pinna ani radiis decem; vertebris quadraginta. 4. *Cyprinus* p. 30.
Tinca, mucosus, oualis, virideſcens; cirris duobus; iride oliuacea; cauda integra; pinna ani radiis vndecim; vertebris triginta nouem.

Alteram familiam dicit, *ore cirris carente*, *cor-* p. 34.
pore oblongo, *cauda bifida*. Species sunt 5. *Cyprinus Dobula*, subteres, cinereo flaueſcens; iride varia; pinna dorsi anique radiis duodecim; vertebris quadraginta. Confusa Auctorum nomina conciliare conatur Auctor, putatque, esse hunc LINNAEI *Iesem*. 6. *Cyprinus Ieses*, pedalis, subteres, subflauus; iride varia; pinna ani dorsique radiis vndecim; vertebris triginta nouem. 7. *Cyprinus Al-* p. 40.
burnus, quincuncialis, gracilis, subteres; flaueſcens; maxilla inferiore longiore; iride alba; pinna anali radiis viginti duobus; vertebris quadraginta duabus. 8. *Cyprinus Zerta*, oualis, subteres, subfuscus; rostro p. 44.
nasiformi, iride viridi albaque; pinnis flaueſcentibus; vertebris quadraginta duabus. Quaerit Auctor, an sit *Cyprinus Kimba* LINN., cum ARTEDII descriptio fere conueniat. Bonam figuram dat GESNERVS. 9. *Cyprinus Morella*, oualis, quin- p. 47.
cuncialis, varius; iride flaua albaque; maxilla inferiore longiore; linea laterali vtrinque lineolis nigris notata; pinnis albentibus, pinna ani radiis octodecim; vertebris triginta septem. Est *Phoxinus* MARSILII; non LINNAEI. 10. *Cyprinus* p. 51.
Aphya, oualis, triuncialis; iride alba; linea laterali versus caudam coerulea; pinna anali radiis duodecim, radiis duobus vltimis purpureis; ver-

tebris triginta et vna. Vix eſt *Aphya* LINN. ſed
p. 35. nouus. 11. *Cyprinus Rubellio*, ouatus, compreſſus; iride lutea; pinna ani radiis quatuordecim, hac et ventralibus (perperam in libro legitur *anali*, quod docet nexus, et deſcriptio) purpureis; ver-
p. 56. tebris quadraginta quatuor. 12. *Cyprinus Rapax*, ouatus, ſubcompreſſus, coeruleſcens; iride varia; pinnis rufeſcentibus, pinna ani radiis quatuordecim; vertebris quadraginta quatuor. Duo hi (no. 11. 12) non a LINNAEO recenſentur.
p. 60. 13. *Cyprinus Erythrophthalmus*, ouatus, compreſſus, oliuaceus; iride flauo ſubrubra; pinnis omnibus rubeſcentibus ventrali et anali purpureis; vertebris triginta nouem. Eſt *C. Rutilus* LINN.
p. 64. 14. *Cyprinus Rutilus*, ouatus, compreſſus, flauo fuſcus, iride crocea; pinnis rubris, ventralibus et anali ſanguineis, pinna ani radiis quindecim; vertebris triginta ſeptem. Eſt *Erytrophthalmus* LINN.
p. 69. Tertia familia definitur *ore cirris carente*, *corpore breuiore*, *cauda* vel *bifida*, vt 15. *Cyprinus Pleſiya*, ouatus, latus, cinereo albus; iride flauo viridi; pinnis ad baſin ſubrubris, analis radiis vltra viginti; vertebris triginta nouem. Non eſt *Ballerus* LINN. ſed ei proximus, vt GESNERVS
p. 73. vidit. 16. *Cyprinus Brama*, ouatus, latus, coeruleo albus; iride albo virideſcente; pinnis nigro coeruleſcentibus, anali radiis viginti nouem; vertebris
p. 78. quadraginta et duabus. Vel *cauda integra*, ut 17. *Cyprinus Caraſſius*, ouatus, latus, oliuaceus; iride albo flaua; linea laterali recta; pinnae dorſi anique radio tertio vtrinque poſterius ſerrato, ſubſpinoſo; pinna ani radiis decem; vertebris triginta. Huic ſubiicitur varietas minor, a KLEINIO in *Piſc. Miſſ. V. p.* 59. *t. II. f.* 2. depicta.

His definitionibus annectit Cl. Auctor vbique numerum radiorum in omnibus pinnis, etiam variantem.

riantem. Subiicit nomina Germanica indigena, atque ſynonyma, quae inuenire potuit, omnia, iis exceptis, quae ARTEDIVS in *Synonymia* iam recte compoſuerat; quorum tamen icones etiam hic commemorat. Tum deſcriptionem omnium partium dat, atque in notis obſeruationibusque ſynonyma Auctorum conciliare conatur, falſas icones bonasque indicat: colorem poſtea ſiccati piſcis, locum natalem, et qui cuilibet piſci gratus ſit, tempus, quo oua ponant, vſum denique breuiter enarrat.

XX.

Caſes in Surgery with Remarks. Part the firſt. By CHARLES WHITE, F. R. S. one of the Corporation of Surgeons in London and Surgeon to the Mancheſter Infirmary. To which is added: an Eſſay on the ligature of Arteries by I. AIKIN, Surgeon. London, printed for W. Johnſton. 1770. 8. 14. pl. tab. aen. 7.

i. e.

Caſus chirurgici cum annotationibus in eosdem Vol. I. Auctore CAROLO WHITE, Chirurgo: Accedit IOANNIS AIKIN diſſertatio de ligatura arteriarum.

Vti in vniuerſum artis noſtrae incrementa plurima, quae ea noſtris temporibus accepit, Anglorum ſtudio et induſtriae debentur; ita chirurgiam inprimis, multis egregiis et ſimplicitate ſua commendabilibus inuentis, eorum opera auctam eſſe, nemo facile negabit. Ad ea vero ſcripta, quibus hoc praecipue effecerunt, hoc, quod iam indicamus, opus maxime pertinet. Continet

illud obſeruationes, quarum maximam partem Cl. WHITE in noſocomio vrbis *Mancheſter* fecit, aliquae tamen earum patrem eiusdem Cl. THOMAM WHITE M. D. auctorem habent. Nonnullae iam in Transactionibus philoſophicis et obſeruationibus medicis Londinenſibus (*Medical Obſeruations and Inquiries*) antea impreſſae fuerunt.

p. 1. Initio huius libri *nouam* proponit Cl. Auctor, *methodum crus paullulum ſupra malleolos amputandi, ſimulque machinam trunco poſt amputationem relicto adaptandam* deſcribit. Notum eſt, cruris amputationem in omnibus fere inſtitui ſtatim ſub genu; cum truncus nimis longus relictus, ſi pes artificialis vulgari modo paratus, flexo genu adaptetur, aegro maxime moleſtus ſit. Attamen iam praecedenti ſeculo Cl. VERDUIN, SOLINGEN et DIONIS crus quoque inferius ad malleolos, ſi mali natura id permitteret, reſecarunt, variasque machinas excogitarunt, quae vero ſatis rudes eſſent. Permouerunt tamen ea Auctorem Cl., vt ad hanc methodum vlterius perficiendam animum aduerteret, praecipue cum videret, articuli genu vſu conſeruato, eam conſuetam longe antecellere. Qua quidem in ſententia magis adhuc confirmabatur, cum feminam videret, in qua amputatio, cruris ſatis longa portione relicta, facta eſſet; cui vero faber quidam lignarius machinam ſatis quidem rudem, adeo tamen commodam paraſſet, vt ea ambulare, gradus adſcendere et deſcendere ſine vllo incommodo poſſet.

Similem itaque machinam excogitauit Noſter, trunco relicto adaptandam, quae fuſius hic deſcribitur et quam eo cum fructu in pluribus aegris adhibuit, vt ii omnes nunc articulo genu libere vti poſſent. Amputationem ipſam eadem fere methodo inſti-

inſtituit, quam Cl. O HALLORAN *) deſcripſit, qui carnis ſegmentum (*Lambeau*) relinquit. Primam ſectionem ab eo loco incipit, quo tendo ACHILLIS oſſi calcis affigitur, omnemque carnem obliqua inciſione, tres circiter pollices longa, ita ſeparat, vt carnis ſegmentum inde formetur. Deinde partes molles anterius ſitas in orbem diſcindit et tandem ſerram adhibet. Sanguinem arteriarum ligatura, ſine acus ope, vti inferius deſcribitur, inſtituenda, vel ſpongia ſupprimit. Carnis ſegmentum non ſtatim cum reliquo vulnere conglutinandum eſt; ſed tam illud, quam vulnus, vt duo ſeparata vulnera, per decem vel quatuordecim dies eo usque tractanda ſunt, donec inflammatio ceſſaverit et oſſium fragmenta acuta iam noua carne tecta ſint. Quod ſi euenerit, ſegmentum vulneri Noſter applicat eaque ratione eiusmodi aegros intra breue tempus fere ſemper ſanauit.

Sequitur relatio de congeſtione foecum in inteſtinis periodica, quae tympanitidem mentiebatur. Tam exempla, quae funeſtum exitum habuerunt, quam alia recenſentur, vbi, parte excrementorum induratorum extracta, aegri conualuerunt. p. 13.

Relatio de calculis inteſtinalibus, in quorum media parte prunorum vel ceraſorum nuclei latebant. Huic additur *de calculis duobus in colo repertis, qui ex ſolis foecibus induratis conſtabant*, obſeruatio. p. 17. 23. 27.

Inſignis tumor ſcroti a teſticulo morboſo in aegro, qui etiam hernia inteſtini laborabat. Tumor ad genua vſque propendens exulceratus, eiusque magnitudinis erat, vt penis et alter teſtis in eo penitus reconderentur. Totus vero tumor maſſae carnis p. 31.

*) Complete treatiſe on gangrene and ſphacelus with a new method of amputation 1765.

putridae ſimilis erat. Aderat ſimul febris hectica, aliaque multa mala, vt aeger morti proximus eſſe videretur. Interim tamen Cl. Auctor, inteſtinis repreſſis, teſticulum morboſum exſtirpauit, aegerque intra breue tempus perfecte conualuit.

p. 35. *Similis fere caſus*, in quo octo librae carnis putridae reſectae ſunt. Figura ſcroti eiusdem fere magnitudinis, apud CHESELDEN in *Anat.* T. 26. reperitur.

p. 41. *De variis tumoribus in capite recens natorum.* Ex his alii exſtirpari poſſunt, aliis vero ſcalpellum ſine graui noxa admoueri non poteſt. Ad priores pertinet ea tumoris ſpecies, quam Auctor Cl. in fronte pueri vidit. Habebat in initio tumor pisi magnitudinem, ſed ſemper increſcens nucem tandem aequabat ac inprimis, cum puer vagitum ederet, inſigniter intumeſcebat. Exſecuit tamen eum Auctor Cl. felici ſucceſſu, viditque illum ſub cute tantum poſitum conſtare ex ſubſtantia, corpori cauernoſo penis ſimili, quae a tribus vaſis ſanguinem accipiebat. Reliqui tumores, qui non exſtirpari poſſunt, ad hernias ſic dictas cerebri pertinent, quas ſine mortis periculo incidi non poſſe, neminem fugit.

p. 47. *De varis et valgis.* Hanc diſtorſionem pedum Cl. Auctor ſitu infantis in vtero, vt recentiorum plurimi, tribuit, machinamque deſcribit e lamina ferri tenui paratam, qua plantis pedum applicata, haec diſtorſio intra breue tempus corrigi poteſt. Faſciam, a CHESELDENIO propoſitam, vt inutilem, reiicit.

p. 50. *De cura ſpaſmi maxillae ex vulnere digiti.* *)

Caſus

*) vid. Med. Obſ. and Inquir. Vol. II. p. 382. conf. comm. noſtr. Vol. XII. p. 466.

Caſus aegri, in quo caput humeri et magna pars p. 57.
*huius oſſis exemta eſt, motu tamen brachii ſuperſtite.**)

*Relatio de fractura humeri.***)

Relatio de fractura femoris, ſymptomatibus ſingu- p. 75.
laribus ſtipata. Haec poſt ſex menſes nondum coalita erat, quo tempore aeger ad noſocomium Auctoris Cl. deferebatur. Hinc e corio machinam parare iubebat, ſeu potius capſulam, quae ita femur circumdaret, vt aeger pede vti poſſet. Poſt ſex ſeptimanas abſceſſus oriebatur non longe a fractura, quo aperto et ſanato, etiam fractura coaleſcebat. Oſſis tamen capita a latere tantum vniebantur. Putat Auctor Cl., fragmentis oſſis aliquid interpoſitum fuiſſe, quod motu pedis, per preſſionem inflammatum, in ſuppurationem abierit.

De operatione facta in aegro, cuius tibia, licet p. 79.
36 ſeptimanae a laeſione iam elapſae eſſent, tamen nondum coalita erat. Tibia et fibula ſimul et oblique quidem fractae erant, ſed fibula iam coaluerat, tibiae fractura nondum ſanata. Cl. Auctor inciſionem longitudinalem inſtituit, viditque ſuperius fragmentum tibiae ſubſtantia quadam cartilagini fere ſimili obductum eſſe. Hinc trepano illud exſecuit, atque etiam ab inferiore perioſteum abraſit: deinde crus in eum ſitum collocauit, quem Cl. SHARPIVS, POTT, WATHEN, aliique commendant, vt ſcilicet flexum eſſet. Poſtea butyro antimonii carnem fungoſam, qua oſſium coalitus impediebatur, deſtruxit et ita intra breue tempus aegrum ſanauit.

De

*) Phil. Transact. 1769. cf. comm. Vol. XVIII. p. 644.

**) RIVSD. Vol. LI. Part. II. 1760. comm. noſtr. Vol. XI. p. 28.

p. 95. *De methodo reductionis humeri luxati.* *)

p. 105. 109. *Supplementa ad praecedentem dissertationem.* In his Cl. Auctor dubia contra methodum proponit, quam Cl. POTT in reductione humeri luxati commendat, qui, ne caput longum bicipitis reductionem impediat, eam semper cubito flexo instituere iubet. Perraro vero fit, vt hic tendo curationem difficilem reddat. Cl. Auctor enim saepe eam optimo cum successu, brachio etiam extenso, tentauit.

p. 123. *De luxatione completa ossis femoris in adulto ex caussa externa.* **)

p. 131. *De luxatione oculi seu exophthalmia.* Fragmentum tubi, ex quo fumus herbae Nicotianae fugitur, in mediam partem palpebrae inferioris ea vi intrudebatur, vt in os maxillare penetraret ibique diffringeretur. Oculi bulbus in superiorem partem protrusus erat, aegerque omnem visum amiserat. Digitis tamen bulbum Cl. Auctor facile reduxit, quo facto statim quoque visus in aegro rediit. Post duos tandem annos aeger tubi frustulum, in duo fragmenta diffractum, tussi reiecit, nulloque incommodo relicto perfecte conualuit.

p. 135. *De exophthalmia a tumore, in inferiore parte orbitae nato, tumore hoc exstirpato perfecte curata.* Tumor hic inter processum zygomaticum et nasum positus erat, et ita magnitudine augebatur, vt omnem fere faciem occuparet. Scalpello hunc Cl. Auctor aperuit, viditque, eum interius substantia, caseo putrido simili, et fragmentis ossium repleri. Os nasi sinistrum, processus zygomaticus eius-

*) v. *Med. Obs.* Vol. II. p. 373. et comm. nostr. Vol. XII. p. 465.

**) v. *Phil. Transact.* Vol. III. P. II. p. 675. comm. nostr. Vol. XI. p. 31.

eiusdem lateris, omniaque orbitae ossa ita carie consumta erant, vt neruus opticus, dura mater eiusque vasa conspici possent. Ferro autem candente applicato, caries non vlterius serpebat, tandemque vlcus perfecte glutinabatur, parua tantum ad angulum internum fistula relicta. Visum quoque aegra recuperauit.

Dissectio brachii, in quo olim aneurysmatis operatio facta erat. Quatuordecim ab ea curatione anni praeterlapsi erant. Cl. Auctor arteriam brachialem cera repleuit, vasaque huius brachii, cum apud nullum Auctorem figura similis reperiretur, delineare curauit. Confirmatur hac obseruatione, arterias minores collaterales, post arteriae ligaturam multum dilatari. p. 139.

Aneurysma in crure ex fractura ortum. Sex septimanis post fracturam elapsis, tumor intra tibiam et fibulam apparuit, quo tandem disrupto, sanguis insigni vi profluxit. Cohibuit tamen illud profluuium Cl. Auctor spongia applicata, de cuius vsu in haemorrhagiis arteriarum iam alio libro exposuit. *) p. 141.

De haemorrhagia ex vulnere arteriae radialis, in qua Cl. Auctor etiam spongia optimo cum successu vsus est. p. 145.

Obseruatio de haemorrhagia ex arteria oculi, spongiae ope curata, quae etiam vsum spongiae stypticum vlterius probat. p. 149.

De spongiae efficacia in sistendo profluuio sanguinis post amputationem cruris. Non sanguinis tantum effluxum spongia, sed puris quoque absorptionem impedit, qua febris hectica excitatur. Applicat p. 151.

*) *Treatise on the use of the sponge.*

plicat vero Cl. Auctor eam modo, quem Cl. KIRKLAND *) commendauit, eandemque in vlceribus etiam adhibet, in quibus, cum humores absorbeat, et fungum leniter comprimat, carnis fungosae ortum prohibet. Vlceribus sine linteo carpto spongiam Noster imponit.

p. 159. *De haemorrhagia ex arteria tonsillari.* Sanguis ex arteria tonsillae, pure corrosa, profluebat, omnia adstringentia, etiam ipsum cauterium actuale nil proficiebant. Tandem Cl. Auctor arteriam illam acu eadem fere ratione ligauit, qua in exstirpatione tonsillae induratae ligatura applicari solet.

p. 167. *De spongiae in sanguinis profluuio efficacia.* Pluribus obseruationibus vim huius remedii stypticam confirmat. Natura arteriam nec thrombo sanguinis (vt PETITI est sententia), nec tumore tunicae cellulosae arteriae circumpositae claudit, quod Cl. POUTEAU docet; sed ea vi sua tonica se contrahit et vsque ad proximam ramificationem coalescit. Hanc tamen hypothesin non nouam, sed iam a Cl. KIRKLAND propositam esse, Cl. Auctor ingenue fatetur.

p. 177. Annexa est huic volumini Cl. AIKIN dissertatio *de ligatura arteriarum.* Discipulus ille est Cl. WHITE, magistro suo dignus. Confirmat, quae Cl. WHITE de modo habet, quo natura sanguinis profluuium ex arteriis sistit. Contra Cl. POUTEAU hypothesin monet: haud raro arterias prius contrahi, quam tela cellulosa, quae arterias circumdat, possit intumescere: habere porro membranas plures minorem telae cellulosae copiam, quam vt talis intumescentia fieri queat, neque tamen minus sanguinis fluxum ex illarum arteriis

*) *Med. Observ.* Vol. II. p. 278. comm. Vol. XII. p. 458.

arteriis ſponte ſiſti: tandemque vim, quam compreſſio perpendicularis et ſubſtantiae fungoſae diſciſſa arteria oſtendunt, non ex hypotheſi Cl. POUTEAU explicari poſſe. Hinc KIRKLANDII ſententiam reliquis probabiliorem iudicat. Optime autem haemorrhagia maiorum arteriarum ligatura cohibetur. Hanc vero non acu facit Cl. AIKIN, qua filum, per carnem arteriae circumpoſitum, ita ducere ſolent, vt eam cum vaſe et neruo, qui vt plurimum arteriae adiacet, nodo comprehendant, ſed arteriae diſciſſae caput ſolum, ſine neruo, protrahit, inſtrumento illo, quod CHESELDEN in appendice ad GATAKERI verſionem *operationum* Cl. LE DRAN tabula decima tertia delineauit. Nudam arteriam tunc filo circumiecto conſtringit, illudque nodo chirurgico firmat. Quo fit, vt non ſolum dolor, quem acus et nerui conſtrictio facit, multum minuatur; ſed et firmum obtineatur vinculum, quod omnem ſanguinis effluxum efficaciſſime prohibet.

XXI.

Eſſays on ſeveral important ſubjects in ſurgery: chiefley on the nature and cure of fractures of the long bones of the extremities, particularly thoſe of the thigh and leg, whether ſimple or compound, for which a new method of retention is propoſed: the whole illuſtrated with copper-plates. By IOHN AITKEN, ſurgeon, of the college and incorporation of Surgeons in Edinburgh. London. printed for E. and C. Dilly 1771. 8. mai. 1 Alph. 4½ pl. tab. aen. 6.

i. e.

i. e.

Diſſertationes de variis argumentis chirurgicis, praecipua quadam annotatione dignis, in primis de natura et cura fracturarum, quae in oſſibus cylindraceis extremitatum, praecipue in femore et crure fiunt, ſiue eae ſimplices, ſiue compoſitae ſint: vna cum deſcriptione methodi, qua oſſa haec fracta apte in ſitu conſeruari poſſunt. Auctore IOANNE AITKEN, Chirurgo Edinburgenſi.

Quamquam maxima pars eorum, quae in hoc, quem iam indicamus, libro noua ſunt, et pertineant ad machinas, quarum ſtructura ſine figuris vix apte verbis explicari poteſt; praecipuas tamen annotationes et obſeruationes, in his diſſertationibus contentas, Lectoribus noſtris communicabimus.

p. 1. Dum vero Cl. Auctor primum de fracturis oſſium in vniuerſum diſputat, varia etiam de cohaeſione oſſium eiusque cauſſis, de rigiditate eorum, quae a particularum terrearum abundantia et coaleſcentia vaſorum pendet, de tenacitate oſſium, quae in infantibus potiſſimum ſumma eſt, et a glutinis copia oritur, nec non de medulla oſſium profert. Deinde enarrat cauſſas varias, quae efficiant, vt oſſa facilius et nonnunquam ſine praegreſſo ictu vel lapſu ſponte frangantur. Hoc potiſſimum cachexiae v. c. ſyphiliticae, ſcorbuticae, rhachiticae, carcinomaticae cet. effectus eſt. Interim tamen quoque aetas ſenilis et labor nimius oſſa rigida facit. Frigus nimium nonnulli etiam inter cauſſas referunt, quae oſſibus fragilitatem inducunt. Sed fracturae, tempore hyemali ideo copioſiores accidunt, quia facile homines in terra, quam glacies nimis

p. 34.

laeuem

lacuem reddit, labi poſſunt, eaque terra gelu nimis indurata eſt. Poſtea ad callum Cl. AITKEN tranſit, de cuius ortu Ill. HALLERI ſententiam amplectitur, tandemque de ſymptomatibus, quae ad fracturas accedunt, eorumque cauſſis, nec non de prognoſi fracturarum agit. Haec tamen omnia nil fere noui continent.

Accedit deinde ad ipſam curationem fractura- p. 56.
rum, quae extenſione membri fracti, coaptatione ſeu repoſitione fragmentorum et retentione eorum in iuſto ſitu, vſque dum callus perfectus ſit, abſolvitur. Contra extenſione in fracturis non opus eſt; ſed ſuperior membri pars tantum in ſitu ita retineatur, vt in extenſione non ſequatur. Extenſionis vero vis, ſi fieri poſſit, inferiori oſſis parti adhibeatur, non loco a fractura remoto, vel inter quem et fracturam articulus eſt. Sub extenſione membrum flexum conſeruetur, niſi fractura ita comparata ſit, vt inter locum, cui extenſionis vis applicatur, et fracturam articulus interponatur. Semper manus ope extenſio fieri poteſt, cum et in oſſis femoris fractura duobus tantum miniſtris, praeter chirurgum, opus ſit. Statim poſt aduentum chirurgi extenſio et fragmentorum repoſitio fiat, niſi iam inflammatio, ſub qua difficile et periculoſe vis membro fracto adhibetur, adſit: hinc ea antea antiphlogiſtica methodo ſananda eſt. Ad praecipuas cauſſas, quae membri fracti retentionem in apto ſitu difficilem reddunt, Cl. Auctor refert craſſitiem muſculorum, oſſi fracto circumiectorum, obliquitatem fracturae, figuram membri a cylindracea recedentem et conicae magis ſimilem, inquietudinem aegri, motus conuulſiuos membri fracti, vomitum et tuſſim cet. Ferulae ex charta conglutinata, quae ante p. 72.
applicationem maceratione emollitur, ſeu corio conficiantur et eam longitudinem habeant, vt ab

vno articulo ad alterum pertineant. Eas, quae in crure fracto adhibentur, perforatas inferius esse oportet, quo malleolos recipiant. In nonnullis fracturis transuersis, quae sine vulnere sunt, membrum fractum in extensum situm collocari potest; in reliquis vero omnibus situs inflexus, a Cel. POTT commendatus, praestat. Iubet idem Cl. POTT, vt aeger semper lateri, in quo fractura est, incumbat. Sed culcitrae non vbique aeque durae sunt, et hinc facile nonnulla loca deprimuntur ac cedunt. In vniuersum quoque situs is tantis incommodis stipatur, vt aeger per omnem curationem, quae non nunquam satis longa est, in eo vix permanere possit. Hinc Cl. Auctor iubet, vt ille semper dorso, ita tamen incumbat, vt membrum flexum et musculi relaxati sint. Hoc in femoris fractura fieri potest, si aeger altitudine pedis vnius vel vnius cum dimidio, stragulorum et culcitrarum ope, supra reliquam lecti superficiem eleuatur, quo genu flexum sit, atque crus et pes deorsum pendeant. In cruris contrafractura, crus quatuordecim vel quindecim pollices altius reliquo corpore, similium stragulorum ope collocetur.

p. 85. Progreditur tunc Cl. Auctor ad fracturam femoris in specie, ostenditque omnia remedia, quibus chirurgi partes huius ossis fractas in apto situ seruare tentant, si quasdam machinas excipias, inutilia plane esse. HILDANI machina (*Cent. V. Obs.* 86.) nondum quidem perfecta, sed tamen omni attentione digna est. Ea, quam Cl. BELLOQ proposuit (*Mem. de l'Acad. de Chir.* T. III. p. 233.*) tunc tantum applicari potest, quando femur et crus in vna eademque linea extensa per omnem curationem seruantur, quod a Nostri curatione, qui inflexum situm commendat, alienum est. Cl. GOOCH

*) vid. Comm. nostr. Vol. VIII. p. 210.

GOOCH inſtrumentum (*Caſes and Remarks in Surgery* Tom. II. p. 311. tab. XI. ſequent.) tuto quidem applicari poteſt, ſed ad extenſionem recte praeſtandam non ſufficit. Hinc aliam machinam Cl. AITKEN deſcribit, quae ex cingulo coriaceo, quod oſſibus peluis circumponitur, et alio ſimili cingulo conſtat, quod inferiorem femoris partem, circumdat. Duo vero illa cingula tribus ferulis, e chalybe confectis, inter ſe vniuntur. In cruris quoque fractura ſimilis fere machina adhibeatur, cuius ſuperius cingulum ſupra genu adfigitur, inferioris vero loco calceus eſt, cui ferulae tres adnectuntur, quarum anterior duplicem finem habet et ſuperiorem pedis partem circumdat. Oſtendit deinde Cl. Auctor machinae huius ope aegros poſt fracturas, ab vno loco ad alterum ita transferri poſſe, vt fragmenta oſſium non ex ſitu ſuo ſub itinere dimoueantur. Commendat eam etiam in ruptura tendinis ACHILLIS, in qua ſuturam, vti recentiores omnes, inutilem dicit et etiam aliarum methodorum, quae Cl. MONRO et alii propoſuerunt, mentionem facit. p. 108. p. 124. p. 133. p. 143.

Porro de retractione cutis et muſculorum poſt amputationem, in femore et crure inſtitutam, ac de variis remediis exponit, quibus recentiores chirurgi hanc retractionem oſſisque protruſionem impedire tentarunt. Sutura cruciata, quam SHARPIVS propoſuit, dolorem nimium facit, et fila retentioni puris putridi in vulnere occaſionem praebere poſſunt. Hinc Auctor Cl. emplaſtra glutinantia, et, ſi amputatio in femore facta ſit, machinam, ad fracturas femoris propoſitam, ita applicat, vt inferius cingulum paullulum ſupra trunci finem emineat. In cruris quoque amputatione cingulum machinae, ad fracturas cruris adaptatae, adhibet. Si amputatio cum ſegmento carnis relicto (*à lambeau*) inſti- p. 157.

tuatur, eadem machina ad firmandum carnis segmentum vti poſſumus. Coniungit tamen Noſter cum ea compreſſionem, quam fruſtuli ligneiope perficit, et cuius vlterior ratio ſine figuris vix intelligi poteſt.

p. 177. Quod ſi haemorrhagia poſt amputationem, in extremitate inferiore factam, topica compreſſione ſiſtenda eſt, machina haec ſecundum Cl. Auctoris ſententiam egregios etiam vſus praeſtabit. Idem et de patellae fractura valet, in qua machinam, fracturis cruris adaptatam a commendat.

p. 185.

p. 196. Tandem de extractione dentium Cl. AITKEN agit atque oſtendit, inſtrumentum, quod *clauem Anglicam, (key inſtrument)* vulgo dicunt, pluribus incommodis laborare, cum oblique et in iniqua directione trahat, ac gingiuas laedere poſſit. Hinc aliud deſcribit, quod tamen idem inſtrumentum emendatum eſt: addita enim eſt inferius capſula, quae corpori molliori obducitur et gingiuis applicatur, in qua vncus latet. Methodum, qua illud inſtrumentum adhiberi debet, fuſius Cl. Auctor deſcribit et figuris explicat, atque in vniuerſum monet, vnci et totius inſtrumenti magnitudinem, pro varia aetate aegri et dentis extrahendi magnitudine differre debere.

XXII.

Memoirs of agriculture and other oeconomical arts. By ROBERT DOSSIE. Vol. I. London, printed for I. Nourſe. 1768. 8 maj. 1 alph. 8 pl. Vol. II. ibid. 1771. 1 alph. 9 pl.

i. 6.

i. e.

Commentarii ad agriculturam aliasque artes, quae ad oeconomiam pertinent, ſpectantes Auctore R. DOSSIE. Vol. I. II.

